DE

# PRÆFECTURA URBANA

QUARTO POST CHRISTUM SÆCULO

LUGD. — EX TYP. PITRAT, VIA GENTIL, 4

DE

# PRÆFECTURA

## URBANA

QUARTO POST CHRISTUM SÆCULO

DISSERUIT


E. LÉOTARD

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS



PARISIIS

VENIT APUD A. FRANCK, BIBLIOPOLAM

VIA DICTA RICHELIEU, 67

M DCCC LXXIII

MAGISTRO

DOCTISSIMO AC DILECTISSIMO

# H HIGNARD

PROFESSORI IN FACULTATE LITTERARUM LUGDUNENSI

OPUSCULUM ILLUD

GRATI TESTIMONIUM ANIMI

D. D. D.

# INDEX RERUM

PROŒMIUM.
CAPUT I De dignitate et insignibus Præfecti.
— II De electione Præfecti.
— III De jurisdictione.
— IV De administratione.
— V De epistolis et relationibus Præfecti ad Augustos.
— VI De officiis minoribus et Officialibus.
— VII De annonis Præfecti.
— VIII De rationibus a Præfecto reddendis.
— IX De Præfecto Constantinopolitano.
— X De Vicario Urbis Romæ.
EPILOGUS.

# DE

# PRÆFECTURA URBANA

## QUARTO POST CHRISTUM SÆCULO

---

## PROŒMIUM

Notus ille Dionis locus in quo Mæcenas cum Augusto disserit de mutanda veteri Reipublicæ forma novisque officiis creandis inter quæ recensetur Præfectura Urbis [1]. Operæ pretium est integra verba Mæcenatis referre : Πολίαρχος δὲ δή τις ἐκ τῶν προηκόντων καὶ ἐκ τῶν πάντα τὰ καθήκοντα προπεπολιτευμένων ἀποδεικνύσθω, οὐχ ἵνα ἀποδημησάντων που ὑπάτων ἄρχῃ, ἀλλ᾽ ἵνα τάτε ἄλλα ἀεὶ τῆς πόλεως προστατῇ, καὶ τὰς δίκας τάςτε παρὰ πάντων ὧν εἶπον ἀρχόντων ἐφεσίμουςτε καὶ ἀναπομπίμους, καὶ

[1] Dio Cassius, l. LII, c. XXI, edid. Reimarus. Hamburgi 1750-1752. — Suetonius, *Oct.*, c. XXXVII. « Nova officia excogitavit; curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividendi, præfecturam urbis... »

9 ?

τὰς τοῦ θανάτου, τοῖςτε ἐν τῇ πόλει πλὴν ὧν ἂν εἴπω, καὶ τοῖς ἔξω αὐτῆς μέχρι πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίων σταδίων οἰκοῦσι κρίνῃ.

Ex quibus verbis satis apparet haud inusitatum neque novum apud Romanos fuisse Præfecturæ nomen : quod etiam illustri confirmatur Taciti testimonio hunc fere in modum loquentis : « Regibus ac postea Consulibus domo profectis, sive ad bellum gerendum, sive ad Ferias Latinas in monte Albano ritu solemni celebrandas, in tempus deligebantur qui, regium aut consulare munus usurpantes, rebus urbanis præessent atque jus redderent, ne Urbs sine imperio foret [1]. » Quorum Præfectorum vel custodum primus fuit Denter Romulius [2] à Romulo institutus, sic ut Præfectura ab ipsa Romanæ urbis origine exordium sumat. Imago vero quædam honoris potius quam honor esse videbatur hæc dignitas precaria, non proprio sed alieno et mutuato splendens lumine.

Ita se res habuit usque ad Cilnium Mæcenatem cunctis apud Romam atque Italiam præpositum, cujus consilio Augustus potestatem extraordinariam in ordinariam vertit, adeoque auxit ut amplissima meruerit vocari et novi Præfecti nihil jam præter nomen cum priscis commune habuerint : quippe qui ad culmen rerum urbanarum evecti, etiam Principe et Consulibus Romæ degentibus, vi ipsa sui magis-

[1] Tacitus, *Ann.*, l. VI, c. XI.
[2] *Ibid.*

tratus judicarent, atque merum imperium cum jure gladii perpetuo exercerent, omnia ad civilem concordiam, felicitatem pacemque publicam pertinentia moderantes, non modo in Urbe sed etiam extra Urbem intra centesimum milliarium, quasi sola Roma tantæ potestati non sufficeret.

Talis fere sub Augusti successoribus, dum omnia sæpius in Urbe turbarentur ac miscerentur, Præfectura urbana permansit, qualis ab ipso Augusto constituta erat, varia amplectens munera quæ olim Consulum, Prætorum, Censorum, Ædilium fuerant : scilicet jus Senatum habendi et Senatores judicandi, servorum coercitionem [1], tutelam pupillorum, annonæ, morum, ærarii, viarum, ædificiciorum curam, ludorum atque spectaculorum disciplinam. Denique, ineunte quarto sæculo, post Constantini triumphum et alteram Romam in Orientis partibus conditam, quum Imperatores non jam Romæ, sed Constantinopoli, Sirmii, Mediolani seu Treviris, in ipsis imperii finibus, ad perpetuas Barbarorum incursiones facilius repellendas, morarentur, Præfecti in Urbe a Cæsaribus deserta primum cœperunt obtinere locum quem usque ad Imperii Occidentalis ruinam retinuerunt, huic etiam ruinæ superstites per medii ævi tempora, sub barbaris regibus ac Romanis pontificibus.

Cunctos Præfecturæ fastos evolvere variasque ejus

[1] Tac., *loc. cit.*

mutationes sigillatim exponere, quod hujus opusculi fines egrederetur, nostri non est instituti; sed in tam ampla materia et tam longa annorum serie, id temporis spatium elegimus quo maxime claruit Præfectura, id est a Constantino usque ad Theodosium Magnum. Tunc viri spectatissimi inter quos eminet Q. Aurelius Symmachus Urbi æternæ præfuere ac propriis virtutibus summæ dignitati novum quoddam decus addidere; neque licet de Præfectura sermonem habere nisi de peculiari Romæ statu in orbe Romano simul tractetur et vita populi Romani publica privataque in medium proferatur.

Multi vel apud antiquos vel apud recentiores de Præfectura urbana multa scripserunt quos enumerat Böckinius in præclarissimo commentario quod edidit cum *Notitia Dignitatum* utriusque imperii [1]. Omnes qui res Romanas a primo post Christum natum seculo usque ad illa tempora quæ antiquitatem et medium ævum disterminant, memoriæ prodiderunt, nempe Tacitus [2], Suetonius [3], Dio Cassius [4], Scriptores historiæ Augustæ, [5], Ammianus Marcellinus [6], Joannes Laurentius Lydus [7], aliique

[1] Eduardus Böcking, *Notitia dignitatum et administrationum omnium tam civilium quam militarium in partibus Orientis et Occidentis*, t. II, c. IV, p. 168-169. Bonnæ, 1839-1853.

[2] *Taciti opera*, passim.

[3] Sueton., *De XII Cæsaribus.*

[4] Dio, *Hist. Rom. quæ supersunt*, edid. Reimar. 2 vol. in-fol.

[5] *Scriptores historiæ Augustæ*, edid. Salmasius, in-fol. Parisiis, 1620.

[6] Ammianus Marcellinus, edidit Wagner. Lipsiæ, 1808. 3 vol. in-8.

[7] Jo. Laurent. Lydus, *De magistratibus reipublicæ Romanæ*, ex

posteriores de hoc magistratu egerunt; in primis autem nominandæ sunt epistolæ Quinti Aurelii Symmacchi [1], Præfecti Urbi ad Imperatores Valentinianum, Theodosium Arcadiumque scriptæ, quæ potissimum ad rem nostram faciunt. Præterea Ulpiani Juliique Pauli de officio Præfecti Urbi libri singulares a Græcis μονόβιβλα nuncupati [2], Augustorum leges seu Principum constitutiones, primum a Theodosio, deinde a Justiniano imperatore in unum corpus juris civilis redactæ [3], *Notitia Dignitatum* [4], Cassiodori formulæ in *Variarum* libris [5], marmora antiqua, nummi, sacri etiam Ecclesiæ fasti, omnia denique vetera monumenta largissimos nobis aperiunt fontes unde utilissimas atque uberrimas notitias hauriamus.

Ex iisdem fontibus recentius hauserunt Cuiacius noster, in *Paratitlis ad Justinianum Codicem* [6], Gothofredus, in *Commentariis Theodosiani Codicis* [7], Drackenborchius, in libello *De Præfectis Urbi* [8], Cur-

recognitione Immanuelis Bekkeri (corpus scriptorum historiæ Byzantinæ). Bonnæ, 1837.

[1] *Q. Aurel. Symmachi epist. ad diversos*, lib. X, edid. Juretus, 1601.

[2] Ulpianus, *Liber singularis de officio Præfecti urbi ex Justiniani Digestis.*

[3] *Codex Theodosianus*, edidit Ritter cum Gothofredi *Commentario.* 6 vol. in-fol. — *Codex Justinianus* (corpus juris civilis).

[4] *Notitia Dignitatum utriusque imperii.*

[5] *Cassiodori opera in duos tomos distributa.* In-fol. Ven., 1729.

[6] Cuiacius, *Paratitla ad Justinianum Codicem.*

[7] Gothofredus, *Codex Theodosianus.* 6 vol. in-fol., 1665.

[8] *Arnoldi Drackenborchii de præfectis Urbi libellus.* Baruthi, 1787.

tius in *Commentariis de Senatu Romano* [1], et Corsinus in libro qui *Series Præfectorum Urbis* inscribitur [2]. Doctissimi quoque viri Germanici, sive historici, sive jurisconsulti, qui ad historiam Romanam illustrandam explicandamque operam suam contulerunt multaque illius capita clarissima in luce collocaverunt hanc rem feliciter attigere. Ut de iis tantum loquar qui nostro tempore vixerunt, Hollwegii civilem processum commemorabo [3], Böckiniensem *Notitiæ* editionem Pancirolianæ longe antecellentem [4], Beckeri *Enchiridion antiquitatum Romanarum*, opus egregium et multa laude dignum [5], insignem Gregorovii *Historiam Romanæ urbis per medium ævum* [6], Walteri *Annales juris Romani* [7], optimum Prelleri *Commentarium de regionibus* [8], amplissimam *Inscriptionum Latinarum collectionem* Orellianam cum Gulielmi Henzenii supplementis [9], denique hanc pulcherrimam *Urbis Romæ des-*

[1] *Michaelis Conradi Curtii commentarii de senatu Romano post tempora reipublicæ liberæ*. Halæ, 1768.

[2] Corsinus, *Series Præfectorum Urbis*. Pisis, 1767.

[3] Bethmann-Hollweg, *Der römische Civil Prozess*. Bonn., 1864.

[4] Böck., *op. cit.*

[5] Becker und Marquardt, *Handbuch der römischen Alterthümer*. Leipzig, 1843-1867.

[6] Gregorovius, *Geschichte der Stadt Rom in Mittelalter von fünften Jahrhundert bis zum sechzehnten Jahrhundert*. Stuttgart, Cottäscher Verlag, 1859-1867.

[7] Walter, *Geschichte des Römischen Rechts bis auf Justinian*. Bonn, 1860.

[8] Preller, *Die Régionen der Stadt Rom*. Iéna, 1846.

[9] Orelli-Henzen, *Inscriptionum Latinarum selectarum amplissima collectio*. Turici, typis Orellii, Fuesslini et sociorum, 1856. Præstat Romæ apud Josephum Spithöver in platea Hispanica, n° 55-56.

*criptionem* quam in commune ediderunt Platnerus, Urlichsius aliique, postquam diligentissime Romam exploravissent atque immensa pristinæ urbis rudera vel supra vel infra solum reperta[1].

In Gallia nostra manet adhuc non solum inexhausta, sed etiam vix prælibata, imo intacta materia, quamvis omnino sit digna quam tractemus et ad nos maxime spectet, quandoquidem hodierna Lutetiæ Præfectura ab antiqua illa Romana non longe distat, ac Præfecti nostri, omnia in Urbe atque Urbis territorio administrantes, cum Præfectis Romanis jure conferri possunt.

Hanc novam, ut ita dicam, regionem, tot et tantis viris ducibus, attentissime perlustrabo, felix si quid novum aut in melius mutatum ex hac peregrinatione reportem. Aperiendum erit quæ tunc fuerit Præfecturæ dignitas, e quibus et a quo Præfecti eligi soliti sint, quam jurisdictionem, quot officia et Officiales sub dispositione sua habuerint, quas relationes mittere debuerint ad Augustos, quas annonas acceperint, quas denique rationes, deposito magistratu, reddiderint. Pauca tandem de Præfecto Constantinopolitano et de Vicario Urbis adjungere necesse erit, atque tum ultima Præfecturæ vestigia

1 *Beschreibung der Stadt Rom von Ernest Platner, Carl Bunsen, Eduard Gerhard, und Wilhem Röstell mit Beiträgen von B. G. Niebuhr und einer geognotischen Abhandlung.* Erlaütert durch Pläne, Aufrisse und Ansichten. Stuttgart und Tübingen, in der Cotta'schen, Buchhandlung, 1829-1842.

persequi. Sed hæc hactenus: jam re universe exposita ejusque partibus summatim delineatis, opus ipsum aggrediamur.

# CAPUT PRIMUM

## DE PRÆFECTI DIGNITATE ET INSIGNIBUS

Omnium dignitatum tam civilium quam militarium certus erat ordo a Diocletiano et Constantino præscriptus; ita ut per varios gradus ex inferioribus ad superiores ascenderetur. In qua pæne infinita potestatum et titulorum recensione primo ordine atque inter altiores judices ex universis scriptorum aut monumentorum testimoniis Præfectus Urbi collocatur : quæ omnia testimonia dinumerare non licet, sed præcipua tantum ob oculos ponere.

Ut ab Augustorum legibus exordiar qui tunc soli jus legum condendarum a populo ad Principes translatum habebant, apud Codicem Theodosianum, in sexto libro, toto ad dignitates earumque divisiones ac species pertinente, una Imperatorum Valentiniani, Valentis et Gratiani constitutio, ad Ampelium Præfectum Urbis Romæ directa, reperitur, qua summus juxta Præfectos Prætorio locus

Præfecto Urbi cum Magistris Militum tribuitur[1] : « Præfectum Urbi, Præfectum Prætorio, Magistros Equitum ac Peditum indiscretæ ducimus dignitatis, usque adeo videlicet, ut, cum ad privatam secesserit vitam, eum loco velimus esse potiorem qui alios promotionis tempore et Codicillorum adoptione præcesserit. » Quæ eadem constitutio in Codice Justiniano legitur[2]. Hunc summum Præfecturæ locum ordo *Notitiæ* comprobat ubi Præfectus Urbi Præfecto Prætorio postponitur ante ipsos Militiæ Magistros[3] ; namque, si non unus idemque magistratuum omnium semper ordo fuit, per Imperatores variis aliquando mutationibus obnoxius, Præfectura tamen urbana, per totum sæculum Constantinianum, altissimum gradum, aucta potius quam minuta, servavit. Intra Urbem cunctis Præfecturam præstitisse dignitatibus constat, quum non modo Consularibus, sed etiam Consulibus et Patriciis Præfectum Urbi Justinianus præferri voluerit[4] : imo omnium dignitatum Præfectus Urbi custos erat, quod complures docent leges ideo Præfectis Urbi inscriptæ. Denique Præfectus Urbi, Senatus caput, in

[1] *Cod. Theod.*, VI, tit. 7, l. 1.
[2] *Cod. Just.*, XII, tit. 4, l. 1.
[3] *Not. Dignit.*
[4] *Cod. Theod.*, VI, tit. 6, Paratitlon. — *Cod. Just.*, I, tit. 28, l. 3. Impp. Valens, Grat. et Valent. Aug. ad Rufinum P. V. « Præfectura urbis cunctis quæ intra urbem sunt antecellat dignitatibus et potestatibus : tantum ex omni parte derivatis quantum sine injuria ac detrimento honoris alieni usurpat. »

amplissimo Curiæ consessu, primus inter proceres et summates sedebat, primus sententiam ex antiquo jure principi Senatus collato expromebat[1].

Sin autem a Principum constitutionibus ad lapides veniam veteresque inscriptiones Latinas ære aut marmore incisas, vel in sepulchris, vel in basi statuarum, vel in monumentis publicis, ut memoriæ æternæ nomina et laudes magnorum virorum prodantur, hi omnes lapides, sive a minoribus dignitatibus auspicium faciant, seu a majoribus, eumdem semper Præfecturæ ordinem inter Consulatum Præfecturamve Prætorianam aliosque honores minores tenent : ex quibus innumeris exemplis unum quoddam, nimirum Vettii Agorii Prætextati, Quæstoris candidati, Prætoris urbani, Correctoris Tusciæ et Umbriæ, Consularis Lusitaniæ, Proconsulis Achaiæ, Præfecti Urbi, Præfecti Prætorio Italiæ et Illyrici, Consulis designati, cæteris prætermissis, decerpere sufficit[2].

Symmachus de urbanæ potestatis fastigio et Præfectura quæ Romæ superior est cæteris ita loquitur ut vix tanto oneri sustinendo se parem æstimet [3]. Ammianus quoque Præfecturam urbanam sublimem formidatamque potestatem, curis permul-

[1] Cass., *Var.*, VI, 4. « ... Consides supra omnes scilicet Consulares, sententiam primus dicis et in libertatis aula reverendus aspiceris, in qua commissos habere mundi primarios approbaris. »

[2] Orell.-Henz., n° 2354.

[3] Symmachus, l. X, ep. 17, 26, 49.

tis sollicitatam atque distractam vocat[1]. Quam Zosimus inter maximas dignitates recenset, Præfectosque vicem Imperatoriam tueri aperte demonstrat [2]. Denique in Cassiodoriana formula, Theodoricus rex, quum dignitatem Præfecto commissam vult significare, verbis utitur quæ omnem laudem excedunt, videlicet : « Nemo amplius erigi videtur quam cui potuit Roma committi [3]. »

Ipsi poetæ Præfecturam carminibus celebraverunt. Exempli gratia, cum Ausonius de se loquitur :

> Quique caput rerum Romam, populumque patresque,
> Tantum non primo rexit sub nomine, quamvis
> Par fuerit primis [4].

Nonne tam merito de Præfecto Urbi quam de Consule, nisi eum duplici Præfectura Prætoriana et Consulatu, nulla autem Præfectura urbana ornatum fuisse pateat, dicere videtur ?

Item Sidonius Apollinaris, quum ait in ultima epistola Firmino suo :

> Accepi capiens honorem
> Qui patrum ac plebis simul unus olim
> Jura gubernat [5],

[1] Amm., l. XXVI, c. III. « Inter curarum præcipua quibus hæc præfectura sæpe sollicitatur. » — *Ibid.*, l. XXVII, c. IX. « Hæc in'er Prætextatus præfecturam urbis sublimius curans... adeptus est id quod raro contingit ut, cum timeretur, amorem non perderet civium minus firmari solitum erga judices formidatos. »

[2] Zosimus, l. IV, c. XLV. 'Αλλ'ἐν τούτῳ μὲν εὖ διεγένετο, τὰς μεγίστας ἀρχὰς ἀνδράσι τοιούτοις εκδεδωκὼς, οἱ καὶ παρὰ τὴν τοῦ βασίλεως ἀποδημίαν, τὰ τῶν ὑπηκόων ἄριστα δυνήσονται διαθεῖναι.

[3] Cass., *Var.*, VI, 4.

[4] Ausonius, *Mosella*, v. 409-411.

[5] Sidonius Apollinaris, *Epist. IX*, 16, v. 30-32.

manifeste tribus illis versibus Præfecturam urbanam designat.

Corippus tandem, ævo posteriore, in laudibus Justini minoris in hunc modum Præfecturam describit :

> . . . . . . . . . Præfectus... Urbis,
> Consultor legum, libertatisque tuendæ
> Dispositor, justi vindex, corrector iniqui,
> Censuram gravitate regens, multoque rigore
> Terribilis, mitique magis pietate tremendus [1].

Tituli Præfecto Urbi, pro dignitate et splendore muneris quod administrabat, permulti ac varii præfiniti fuerunt quos omnes hic ordine complectemur. Ac initio quidem honestissima *Viri Clarissimi* appellatione decorantur Præfecti Urbi in omnibus fere Principum rescriptis quæ ad eos sæpissime diriguntur et in marmoribus quæ ad Præfectos eorumque laudes spectant [2]. Hic autem honoris titulus pluribus etiam aliis inferioris ordinis Magistratibus civilibus, haud militaribus concessus [3], non Præfectis adeo peculiaris fuit ut illo a cæteris Magistratibus distingui possint : quippe Senatores, ipsi sub jurisdictione Præfecti positi, inter clarissimos numerabantur [4]. *Illustris* vel *illustrissimus* magis proprie

[1] Corippus, *De laudibus Justini Augusti minoris*, l. IV, v. 3-7.

[2] *Cod. Theod.*, passim. — Orell.-Henz., *passim*.

[3] Amm., XXI, c. XVI. « Nec sub eo (Constantio) dux quisquam cum clarissimatu provectus est. Erant enim, ut nos quoque meminimus, perfectissimi. »

[4] Naudet, *Des changements opérés dans toutes les parties de l'administration de l'Empire romain*, t. II, c. III, p. 88-98.

vocari solet Præfectus Urbi ; nempe Præfectura urbana inter illustres dignitates cum Præfectura Prætoriana et Magisterio Militum æqualiter, sicut supra diximus, censetur. Multæ aliæ honorificæ adjectiones quibus Præfecti cumulabantur sexcentis locis leguntur, item : *Eminentissima, excellens, laudanda Auctoritas Tua, Magnifica Sedes Tua, Eminentia Tua Sublimis, Gravitas Tua, Magnitudo Tua, Sinceritas Tua, Sublimitas Tua, Culmen Tuum*[1], e quibus ejusmodi formulis duo præsertim nobiliores censeri debent, scilicet : *Senatus Præsul* et *gloriosissime, carissime atque amantissime Parens noster ;* quæ Præfecti Urbi appellatio jam ab Imperatore Valeriano usurpata [2] in legibus post Augusti nomen repente subjicitur [3], quamvis in quarto sæculo ad eos potissimum pertineat qui ad Patriciatum vel Præfecturam Prætorianam provecti fuerant.

Insignibus quoque variis et ornamentis pro rei dignitate decorabatur Præfectus Urbi quibus a reliquis civibus atque Magistratibus distingui consueverat. Primum vix dubitari potest quin toga, seu veste civili indutus fuerit, quippe qui magistratum civilem gereret ; neque ad hanc sententiam evertendam

[1] Gothofredus, *Cod. Theod.*, l. VI. Paratitlon. — Cors., præf. p. xxix.

[2] Vop., *Aureliani vita*, c. ix. « Quare sinceritas tua, mi parens carissime... »

[3] *Cod. Theod.*, passim.

Juvenalis locus in quarta satyra merito adducendus est :

> . . . . . . . . . . . rapta properabat abolla
> Pegasus, attonitæ positus modo villicus Urbi.
> Anne aliud tunc Præfecti[1] ?

namque abolla, vestis militaris, velut paludamentum hic in genere pro omni vestimento accipitur : quam veniam poetis concessam nemo nescit. Cæterum huic eidem opinioni plane assentitur Cassiodorus in formula Præfecturæ urbanæ : « Habitu te togatæ dignitatis ornamus, ut indutus veste Romulea jura debeas affectare Romana[2]. » Quibus verbis tam perspicuis et dilucidis testimonium Rutilii Numatiani habeo quod addam, qui, cum ostendere vellet Venerium Rufum sibi in urbana Præfectura successorem fuisse, dicit :

> Per quem jura meæ continuata togæ [3].

Quod præter togam fasces cum lictoribus atque apparitoribus Præfectus sibi prælatos habuit, qui ornatus omnium majorum magistratuum insigne censebatur, pluribus Symmachi [4], Libanii, [5], Cas-

[1] Juvenalis, *Sat.*, IV, v. 76-78.
[2] Cass , *Var.*, VI, 4.
[3] Rutilius Numatianus, *Itinerarium,* v. 468.
[4] Symm., *Ep. X,* 44... Apparitores præfecturæ urbanæ.
[5] Libanius, *Orat.,* x. Ὁ θρόνος, οἱ κήρυκες, καὶ οἱ ῥαβδοῦχοι καὶ ὁ τῶν ὑπηρετῶν ἀριθμός.

siodori [1], Lydi [2], Ammiani [3], Prudentii [4], aliorumque locis planissime erudimur. Alibi quoque apud Cassiodorum de urbanæ Præfecturæ infulis mentio occurrit [5] : quæ infulæ sacræ non solum ad pontifices et sacerdotes spectabant, sed etiam, religionis causa, ad magistratus qui sacerdotium quoddam, ut ita dicam, exercere videbantur.

Gladium certe gestabat Præfectus Urbi qui jus gladii, ut olim Prætor urbanus, habebat [6]; illum autem cingulo vel parazonio, tanquam Præfectum Prætorio, cingi haud equidem crediderim nisi quum præsens in comitatu inter comites consistorianos vel proceres sacri palatii extra ordinem sederet [7]; nam cingulum insigne erat militare; Præfectura vero

[1] Cass., *Var.*, I, 42 et seqq. « ... Te ad præfecturæ urbanæ culmen erigimus, tribuentes tibi in ea civitate fasces, ubi perpetui sunt honores. »

[2] Lyd., *op. cit.*, l. I, p. 146. Ὢν ὁ πρῶτος τῆς πόλεως φύλαξ προσηγορεύθη, ὁ καθ'ἡμᾶς πολίαρχος· ἐπίσημα δὲ τῆς ἐξουσίας, ἣν αὐτῷ δυοκαίδεκα... ῥαβδοῦχοι καὶ δεσμά...

[3] Amm., l. XV, c. VII. « Sed ille (præfectus)... immissis adparitoribus. »

[4] Prud. *adv. Symm.*, l. I, v. 563 et seqq.

> Jure potestatis fultos et in arce Senatus
> Præcipuos (Gracchos)...
> Cumque suis pariter lictoribus...

[5] Cass., *Var.*, III, 2. « ... Præfecturæ urbanæ infulas tibi largimur... »

[6] Rut. Numat., *Itinerarium*, v. 158, 159.

> Nam quod nulla meum strinxerunt crimina ferrum
> Non sit Præfecti gloria, sed populi.

[7] Hollweg., III, p. 93. « Nur ausserordentlich wurden dagegen zugezogen andere am Hofe gegenwärtige hohe Staatsbeamte, als die Consuln, der Præfectus Urbi, Präpositus sacri Cubiculi und andere. »

urbana magistratus omnino civilis fuisse videtur [1], quamvis tunc temporis omnium in actu magistratuum cingulum præcipuum fuerit ornamentum, sine quo, ut ait D. Chrysostomus [2], principem adire non liceret, solæque honorariæ dignitates cingulo carerent [3].

Curuli quoque sellæ supra currum impositæ Præfectus Urbi, velut cæteri magistratus curules, hoc est, Consules, Prætores, Censores, Ædiles, insidebat, in qua per Urbem vectus jus dicebat, controversias dirimebat atque litigantes audiebat, quovis in loco munere suo fungi deberet, eamdemque sellam auratam vel ebore contectam, vermiculatam vel eleganter ornatam fuisse ex innumeris scriptorum testimoniis constat [4]. Denique Præfectus jus carpenti habebat quod non leve summi magistratus indicium erat [5]; hac enim *carpenti* voce in quo publice vehebantur omnes majores magistratus non modo carruca prius usurpata usque ad Theodosii Magni tempora [6] et quæ a privatis etiam adhi-

[1] *Ibid.*, p. 60. « Eigenthümlich ist ihm in Gegensatz aller andern Kaiserlichen Beamten der rein bügerliche Charakter seiner Würde, den statt der militärischen *Chlamys* und des *Cingulum* die senatorische *Toga* bezeichnet. »

[2] Chrysost., I ad Corinth., c. II, serm. 20.

[3] Böck., *Not. Dign.*, t. II, p. 1151.

[4] Cors., præf. p. XXIX.

[5] Cass., *Var.*, VI. « Carpento veheris per nobilem plebem. » — Cors., *ibid.* — Drackenb., c. XI. — Vop., *Vit. Aurel.*, c. I. « Vehiculo suo me et judiciali carpento præfectus urbis vir illustris... Junius Tiberianus accepit. » — Amm., l. XV, c. VII. « ... Insidens itaque vehiculo. »

[6] Symm., l. X, ep. 17.

bebatur, aut rheda argentea senatoribus concessa designatur, sed quadrijugus currus argenteus [1] qui a quatuor albis equis magna pompa trahebatur [2], eleganti imagine expressus in *Notitia Dignitatum* [3], cum auriga equorum frena tenente et abaco vel mensa cui tapetum venerationis gratia substernitur et supra quam liber candidus mandatorum erectus conspicitur, aureis tæniis vultuque Principis in media tabella ornatus : juxta quam mensam aurata pila supra duas humanas statuas in medio vultum Principis pictum exhibet.

[1] *Cod. Theod.*, XIV, tit. 12. De honoratorum vehiculis, lex unica. — Ἀνθολ. l. II, c LII, n. 7. Εἰς Θεμίστιον...

Ἄντυγος οὐρανίης ὑπερήμενος εἰς πόθον ἦλθες
Ἄντυγος ἀργυρέης αἶσχος ἀπειρέσιον.

[2] Cors, præf., p. XXXIII-XXXIV.
[3] Böck., II, p. 15.

## CAPUT II

### DE ELECTIONE PRÆFECTI

Ex superioribus dignissimos tantum ad hunc honoris gradum pervenisse liquido apparet. Jam a Regibus et, post ejectos Reges, a Consulibus Præfecti extraordinarii, sive Urbis custodiendæ, sive Feriarum Latinarum causa, eligebantur atque hanc dignitatem merito Consularibus, qui consulare munus usurparent, aliisve qui summis honoribus functi essent, plerumque esse collatam Livii[1], Taciti[2], aliorumque testimoniis docemur[3]. Postea, ex consilio Mæcenatis, quum primum e Campo comitia ad Principem translata sunt, Augustus hanc etiam potestatem, velut cæteras, sibi ipse vindicavit : quod jus ordinarios et veros Urbis Præfectos constituendi omnes post Augustum Imperatores retinuerunt, nam,

[1] Liv., l. I, c. LIX. « Ipse (Brutus) imperium in Urbe Lucretio, Præfecto Urbis jam ante ab rege instituto, relinquit. »

[2] Tac., *Ann.*, l. VI, c. XI.

[3] Drackenb., c. II-III.

si maximæ Severi Alexandri clementiæ et humanitati adscribi debet, quod ejusmodi Præfectorum eligendorum potestatem Senatui concesserit, ut testatur Lampridius [1], ejusmodi exemplum nullus omnino ex posteris Augustis æmulari voluit ; quemadmodum ex multis Symmachi epistolis patet in quibus maximas Theodosio et Valentiniano auctoribus honoris sibi gratias agit [2], atque ex variis Theodorici epistolis [3] quæ nobis ipsos Gothorum reges Romæ imperantes idem sibi jus reservavisse ostendunt. Imperator ipse codicillos aureos novæ dignitatis ad novum Præfectum cum admonitionum ordine emittebat, atque multis eum laudibus extollens ac commendans, a Senatu, aliquando etiam a populo Romano, petebat ut suffragiis suis Præsulis aut Rectoris electionem confirmarent [4], et novus Præfectus vicissim, quum magistratum auspicaretur, orationem habebat in Senatu ut gaudium suum impertiret cæte-

[1] Lamp., *Vita Alex. Sev.*, c. XIX. « Præfectum Prætorio sibi ex Senatus auctoritate constituit, Præfectum Urbis a Senatu accepit. »

[2] Symm., l. X, ep. 15. « Quieto mihi et jam pridem a desideriis honorum remoto, Præfecturam multis cupitam, sponte tribuistis. Ago gratias tot bonorum circa me Principum voluntati. » — *Ibid.*, l. X, ep. 47. « Omnes qui ad amplissimos honoris gradus judicio clementiæ vestræ vel favore provehimur... » — Amm., l. XXIII, c. I. « Imperator... Apronianum Romæ decrevit esse præfectum. »

[3] Cass., *Var.*, I, 42. « Te ad præfecturæ urbanæ culmen erigimus. » -- *Ibid.*, II, 34. « Gaudemus in te nostra floruisse judicia. » — *Ibid.*, III, 12. « Amamus, Patres Conscripti, dignitates de nostra benignitate nascentes. »

[4] Cass., *Var.*, IV, 16. — *Cod. Théod* , VI, De codicillis dignitatum. — *Nota Valesii ad Ammianum*, l. XXVIII, c. I. « Codicilli delatæ præfecturæ erant *aurei* (χρυσαὶ δέλτοι) ; reliquorum vero magistratuum *eburnei* (δέλτοι ἐξ ἐλεφάντων). »

ris et pro eo gradu in quo Principis beneficio esset collocatus Principis laudes celebraret[1].

Quamvis autem Præfectorum electio a solo Augustorum arbitrio penderet, nulli tamen, nisi Senatori, Præfectura urbana, quæ senatorum jura tutabatur ac senatores judicandi potestatem habebat, patuit, ipso Mæcenatis consilio qui hoc officium inter honores Senatoribus committendos recenset, dum Præfecturam Prætorio equitibus ob nimiæ potestatis novarumque rerum periculum tribuendam putat : *Τοὺς μὲν δὴ βουλευτὰς ταῦτάτε καὶ οὕτω διέπειν φημὶ χρῆναι* [2]. Imo, is solum Præfectus eligi solebat qui omnes magistratus, quos geri ante hunc convenit, gesserat : *Πολίαρχος δέ δή τις ἐκ τῶν προηκόντων καὶ ἐκ τῶν πάντα τὰ καθήκοντα προπεπολιτευμένων ἀποδεικνύσθω* [3]. Qui autem fuerint illi honores vel dignitates minores quibus emensis ad Præfecturam aditus pateret, sive ex historicis, sive ex lapidibus et monumentis publicis, satis exploratum habemus ; quippe constans honorum, munerum ac dignitatum series a primis Romanæ Reipublicæ temporibus instituta usque ad ultimos Imperii annos, parum mutato ordine, conspicitur ; ita ut a Quæstura, primo honorum gradu et Prætura, levi jam munere[4], per provincia-

1 Themist. Orat. XVII.
2 Dio., l. LII, c. XXIII.
3 *Ibid.*, c. XXI
4 Boethius, *De Consolatione*, l. III, c. IV. « Prætura magna olim potestas, nunc inane nomen et senatorii ordinis gravis sarcina. » — Zos., l. II, c. XXXVIII. Βουλόμενος δὲ (Κωνσταντῖνος) καὶ τοῖς ἐν λαμπρᾷ

rum administrationem ad Præfecturas, majorem nobilioremque dignitatem, ad Patriciatum quo decorati Imperatorum Patres vocabantur, et Consulatum ascenderetur, summum, ut ita dicam, honorum apicem, quem ipsi Augusti, annis nomen impondituri, vel soli possidere, vel cum privatis collegis participare gaudebant [1]. Tametsi novarum quoque dignitatum recentius invectarum veteribusque aliis adjunctarum mentio occurrit, apud Ammianum scilicet, qui nos docet Juventium quemdam ex Quæsitore Palatii Lampadio Præfecto Urbi successisse, et alias Rusticum Julianum, Magistrum Memoriæ, postea ad Præfecturæ urbanæ culmen ascendisse [2]. Neque ulli ad superiores dignitates accessus patebat nisi in minoribus dignitatibus obeundis ingenii, solertiæ, prudentiæ, æquitatis illustre jam specimen edidisset; atque inter inaudita notabatur si forte Imperatores, decoris et pristini moris immemores, indigno cuiquam Urbem æternam regendam crediderint; quod Carino accidit cui Vopiscus Præfectum Urbi unum ex cancellariis suis, quorum munus vilissimum erat, fecisse exprobrat, quo fœdius, ait, nec cogitari potest aliquando, nec dici [3].

τύχῃ περινοῆσαί τι λυπηρὸν, ἕκαστον εἰς τὴν τοῦ πραίτωρος ἀξιὰν ἐκάλει, καὶ τῷ προκαλύμματι τῆς τιμῆς ἀργύρου σταθμὸν ἀπῄτει πολύν.

1 Orell.-Henz., *passim*.

2 Amm., l. XXVII, c. III. « Advenit successor ejus ex quæsitore palatii Juventius... » — *Ibid.*, l. XXVII, c. VI. « Rusticus Julianus... tum magister memoriæ... in præfectura urbana quam adhuc administrans exstinctus est... »

3 Vop., *Vita Carini*, c. I. « Amicos optimos quosque relegavit, pes-

Nulla Præfecturæ urbanæ legitima ætas, sicut Consulatus aliarumque dignitatum[1], memorata vel apud scriptores vel apud monumenta reperitur, sed ex ipso honorum decursu per quem ad eam ascendebatur illos patet qui Præfectura induebantur ad quamdam ætatis maturitatem pervenisse, jamque adolescentiæ fines egressos esse; quanquam Augusti, annalium legum parum curiosi, sæpius adolescentibus, honoris causa, ante legitimam ætatem summas dignitates, etiam Consulatum tribuerent, quemadmodum in variis marmoribus quosdam intra ætatis primordia, scilicet vicesimum quintum annum[2], vel primo ætatis suæ flore[3], tales ac tantos honores promeruisse legimus.

Ordo quoque dignitatum nonnunquam miro modo perturbatus videtur; ita, quamvis Præfectura prætoriana perspicuis testimoniis innumerisque exemplis potior urbana semperque nobilior aperte ostendatur, aliquando ab ipsa Prætorii Præfectura ad urbanam aditum patuisse conspicimus; unde Rufius Ceionius Volusianus ex Præfecto Prætorio Præfectus Urbi appellatur[4], ut prius Prætorio, mox Urbi præfuisse videatur, et Lampadius, quum ex Præfecto Prætorio

simum quemque elegit, ac tenuit: præfectum urbi unum ex cancellariis suis fecit, quo fœdius nec cogitari potest aliquando, nec dici. »

[1] Legitima ætas quæsturæ fuit primum sub Augustis vicesimus quintus ætatis annus, postea sub Constantino sextus decimus aut vicesimus.

[2] Orell.-Henz., n° 3159.

[3] *Ibid.*, n° 3185. — *Ibid.*, n° 1140.

[4] Cors., *Præf.*, p. XXIV. — *Ibid.*, p. 229.

esset, ex Ammiani testimonio, Urbis Præfectus electus fuit[1]. Cæterum, florentibus adhuc Romanis rebus et incolumi veteri dignitatum majestate cives aliquos reperire est qui prius Consulatum, mox Urbis Præfecturam adepti sint[2]. Interdum etiam unus idemque civis Præfectus Urbi, simulque Consul occurrit. Ita quoque nonnulli uno eodemque tempore tum Urbi tum Prætorio præfuere, ut ad annos 347–348 ; quodque omnino mirandum est, nonnulli quoque occurrunt qui utramque ex Præfecturis una cum Consulatu adepti videntur. Denique plurimos exstitisse conspicimus qui, administrata jam Urbis Præfectura, inferiores etiam dignitates alias sortiebantur ne spectatissimi viri, ut ait Corsinus[3], sublimioribus jam muneribus egregie perfuncti, ab honoribus aliis, licet obscurioribus, arceri, ideoque Reipublicæ bono deesse viderentur.

Superest ut dispisciamus utrum e gentilibus an christianis potius Præfecti eligerentur. Sæpe, ipsi christianissimi Imperatores, velut Theodosius Magnus, etiam acerrimos ethnicæ religionis propugnatores ad Præfecturam urbanam promoverunt, quod Symmachi, Vettii Agorii Prætextati aliorumque exemplo probari potest[4], quos falso deorum cultui addictos, imo Vestæ, Solis sacerdotes, quindecimvi-

[1] Amm., l. XXVII, c. III. « Advenit post hunc .. (Symmachum) urbis moderator Lampadius ex præfecto prætorio. »
[2] Cors., *Præf.*, p. XXV-XXVI.
[3] *Ibid.*
[4] Orell.-Henz., n° 2354.

ros, Patres sacrorum ex marmoribus comperimus [1]; haud sane, ut opinatur Drackenborchius [2], hostes novæ religionis sibi conciliaturi, sed Romæ et Senatui Romano indulgentes. In hoc tamen memorabili utriusque religionis apud Romam conflictu nonnumquam Præfecto christiano christiani gaudebant, ut testes sunt Junius Bassus qui in ipsa Præfectura *neofitus* ivit ad Deum [3] et Publicola Gracchus, antiqua patriciaque gente ortus [4] qui, cum Præfecturam gereret urbanam, eximio pietatis studio specum Mithræ [5] et omnia portentosa simulacra

[1] *Beschreibung der Stadt Rom.*, III, 2, p. 9. « Vettius Agorius Prætextatus, Präfect der Stadt im Jahre 367 hier (*apud Tabularium*) die hochheiligen Standbilder der zwölf grossen Gottheiten mit allem gebührenden Schmucke geweiht hat. (Inschrift zum Andenken an eine Weihung zu Ehren der zwölf grossen Götter (*Consentes*) im März 1835 entdeckt.)

« Dieser Mann ist eine bedeutende Gestalt im letzten Kämpfe des sterbenden Heidenthums mit dem Christenthum. Alle Würden und Weihen des alten Glaubens waren auf ihm gehaüft; er war Pontifex der Vesta, Pontifex der Sonne, Augur, Hierophant, Opfervater, Tauroboliat. Die Christen kränkte und quälte er wo er konnte, und als der Papst Damasus ihm darüber durch Freunde Vorwürfe machen liess, antwortete er ganz trocken : « Macht mich zum Bischof von Rom, und ich will so-
« gleich Christ werden. »

[2] Drackhenb., c. IV.

[3] Orell.-Henz., n° 2527.

[4] Prud., *adv. Symmachum*, l. I, v. 562-566.

> Jam quid Publicolas percurram carmine Gracchos
> Jure potestatis fultos, et in arce Senatus
> Præcipuos, simulacra Deum jussisse revelli,
> Cumque suis pariter lictoribus omnipotenti
> Suppliciter Christo se consecrasse regendos ?

[5] De cultu Mithræ atque speluncis Mithriacis Romæ et in imperio Romano per tertium et per quartum sæculum videsis Joannem Baptistam de Rossi in *Bulletino d'archeologia christiana*, anno 1870, n° 4, p. 189.

subvertit et, his quasi obsidibus ante præmissis, ut ait Hieronymus, impetravit baptismum Christi [1].

Præfecti diuturnitas sub Regibus et Consulibus modo major modo minor habebatur, nullis omnino certis statisque temporum finibus circumscripta; ubi vero Mæcenas Augusto auctor fuit ut Præfectus Urbi tanquam peculiaris quidam et ordinarius Magistratus crearetur, qui, aliorum instar, certis quibusdam muneribus sibi commissis in Urbe fungeretur, suasit de Præfecto Urbi sicut de Magistro Morum vel Subcensore, ut hi duo magistratus perpetui forent, id est, per omnem vitam prorogarentur, nisi se crimine indignos redderent, morbove aut senectute eis gerendis impares essent; nam ob hanc quidem magistratus diuturnitatem nihil agere mali poterant quum in oculis plerumque Principis potestatem exercerent, ob metum vero exauctorationis offendere aliquem et vi quid agere vererentur, quum se privatos rursum aliosve cum potentia futuros præviderent : Ἀρχέτωσαν δὲ δὴ οἱ δυὸ οὗτοι διὰ βίου, ἄν γε δὴ μὴ κακυνθῇ τις αὐτῶν τρόπον τινὰ, ἢ καὶ νοσώδης ἢ καὶ ὑπέργηρως γένηται· ἐκ μὲν γὰρ τῆς χρονίου ἀρχῆς οὐδὲν ἂν δεινὸν, ἅτε ὁ μὲν... ὁ δὲ... ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς τὸ πλεῖστον ἄρχων, ἐργάσαιντο· ἐκ δὲ δὴ τοῦ ἑτέρου καὶ ὀκνήσαιεν ἂν προσκροῦσαί τινι, καὶ φοϐηθεῖεν ἐῤῥωμένως τι πρᾶξαι, τήντε ἑαυτῶν ἰδιωτείαν, καὶ τὴν ἄλλην τινῶν δυναστείαν προορώμενοι [2].

Postea autem id mutatum, nam ab Augusto ipso,

[1] Hieronymus, epist. CVII, ad Lætam.
[2] Dio, l. LII, c. XXI.

Tiberio cæterisque Imperatoribus proxime consecutis, miram perturbationem ac varietatem in Præfectis conservandis comperimus et Præfecti diuturnitas, quemadmodum electio, a solo Cæsarum arbitrio pendere cœpit. Boni quidem Principes per multos integros annos eumdem Præfectum sæpius prorogavere, maxime cum præclare officio suo fungeretur, solique nequissimi Imperatores, Reipublicæ parum curiosi, pro gratia aut invidia multos temere Præfectos in menses solum atque horas etiam eligebant, eos nimia facilitate mutantes ut eumdem honorem modo his, modo aliis committerent. Plerumque tamen ab altera parte tertii sæculi post Christum natum, hoc est, post Valeriani et Gallieni tempora, Præfectorum Urbis magistratus annuus esse consuevit [1], ut ex aureolo Præfectorum Urbi demonstratur indiculo quem Joannes Cuspinianus [2] invenit omniumque primus edidit et in quo singuli Præfecti Urbis ab anno 254 usque ad annum 354 recensentur [3]. Interdum modo, in posteriore quarti sæculi parte, ex tempore quo Præfectus quisque munus suscepit ac deposuit, Præfectos bis terve eodem anno mutatos fuisse, variis anni temporibus, nunc kalendis, nonis, idibus cujusque mensis, nunc ante kalendas, nonas, idus et sex tantum mensibus aut

[1] Drackenb., c. IV. — Cors., *Præf.*, p. XX.
[2] Cors., p. LI.
[3] Joannes Cuspinianus, *Præfectorum Urbis indiculus*.

tribus, aut minus etiam, magistratum gessisse conspicitur [1], quemadmodum in Consulatu suffecti Consules post ordinarios induci cœperunt. Vicissim vero idem Præfectus, tunc etiam, per plures annos, ut ex Ammiano cæterisque scriptoribus coætaneis et marmoribus plane erudimur [2], sive continuos, sive interruptos eo honore potiebatur, ita ut in titulorum recensione lapidibus incisa sæpius Præfectum Urbi *bis*, *secundo*, *iterum*, *tertium*, etiam *quartum* legamus [3]. Mox, sub Gothorum regibus mos Præfecturæ annuæ et per indictiones collatæ rursum observatus videtur, et Præfecti, veluti Consules, magistratum Kalendis Januariis auspicari solebant [4]. Qui Præfectorum Urbis Fasti, sicut Consulum, Ædilium, Quæstorum, Duumvirorum, Quinquennalium, omniumque magistratuum vel infimorum olim in scriniis Præfecturæ urbanæ certe exstiterunt a quibus, veluti fonte, series aliæ, non integrum opus, sed majoris integrique operis fragmenta, derivatæ sunt, omnino tamen nobis desideranda hac publica atque integra Præfectorum serie rite contexta quæ plurimum lucis Præfecturæ urbanæ historiæ afferre posset.

1 Anonymus, *Præfectorum Urbis Indiculus in Grævii Romanarum Antiquitatum Thesauro*, tom. XI, et *Gothofredi Theodosiano Codice.*

2 Amm., l. XVII, c. x. « Administrante secundam adhuc Orsito Præfecturam... »

3 Orell.-Henz., *passim.*

4 Cass., *Var.*, VI, 4.

## CAPUT III

### DE JURISDICTIONE

Inter varia urbani Præfecti munera præcipuum erat judiciale munus ideoque sæpius vel in monumentis publicis vel apud scriptores judex vocatur [1]. Latissima ipsi jurisdictio concessa est; tribunali enim ejus subjecti fuere omnes cives in Urbe Roma. Ab initio quidem de omnibus causis etiam capitalibus, a quibus dabatur provocatio, judicavit : Ἵνα τάτε ἄλλα ἀεὶ τῆς πόλεως προστατῆ και τὰς δίκας τάςτε παρὰ πάντων ὧν εἶπον ἀρχόντων ἐφεσίμουςτε καὶ ἀναπομπίμους, καὶ τὰς τοῦ θανάτου τοῖς ἐν τῇ πόλει [2]. Posterioribus autem temporibus, omnia Prætoris et quæstionum perpetuarum officia ad se trahens, solis liberalibus negotiis, in integrum restitutionibus, tutelis, manumissionibus et emancipationibus ad Prætorum cognitionem

[1] *Cod. Theod.*, passim. — Cass., *Var.*, VI, 4. « Cum de dignitate commissa laus semper Judicis æstimetur... » — Drackenb., c. VI.
[2] Dio, l. LII, c. XXI.

reservatis [1], tum in civilibus, tum in criminalibus controversiis, judicare cœpit, ita ut ab Ulpiano dici potuerit : « Omnia omnino crimina quæ intra Urbem admittuntur Præfectura Urbis sibi vindicavit. [2] » Omnes scilicet liberorum de parentibus, servorum de dominis, libertorum de patronis et vicissim parentum de liberis, dominorum de servis ac patronorum de libertis querelæ ad Urbis Præfecti tribunal deferebantur [3]. Tutores aut curatores, etiamsi Prætor tutelaris adhuc superesset, nonnullis, præsertim prodigis et furiosis, si legitimi tutores non essent, aut pupillis illustrium virorum, detrectante matre tutelam, constituere, assumptis decemviris ex Senatu [4], ad Præfectum ipsum spectabat; quemadmodum solebant ad Præfecturam remitti etiam tutores sive curatores qui male in tutela vel curatela versati, graviore animadversione indigebant quam ut sufficeret iis ordinaria pœna infamiæ [5]. Hæreditatum quoque et testamentorum cura Præfecto commissa fuit, quum Romæ fierent et fraudis alicujus suspicio

1 *Cod. Theod.*, VI, tit. 4, l. 16. (Comment. Gothofredi de jurisdictione prætoris.) — Hollweg., l. II, p. 50-52.

2 Ulp., *De officio Præf. Urbis liber singularis.*

3 Cors., p. XLIII.

4 *Cod. Theod.*, III, tit. 17, l. 3. Impp. Valent, Theod. et Arcad. A. A. A. Proculo P. V. « Inlustris Præfectus Urbis, adhibitis Decemviris a numero Senatus amplissimi et Prætore clarissimo viro qui Tutelaribus cognitionibus præsidet Tutores Curatoresve ex quolibet Ordine idoneos faciat retentari; sane id libero judicio expertesque damni constituent Judicantes,. quem cœtus ille administrandis negotiis pupillorum dignissimum judicarit, sola sententia obtineat Præfecturæ... »

5 Drackenb., c. X.

esset; denique ex interdictis et interdicto, de momenti reformatione [1], seu bonorum possessione Præfectus audiebat, ita ut in omni civium vita vix ullum tempus reperire queas quod sub Præfecti potestatem non cadat.

De artibus quoque magicis, de maleficiis, veneficiis et mathematicis, de hæreticis, schismaticis omnibusque violatæ Religionis reis Deique immortalis contemptoribus, tanquam hostibus publicis, Præfectus urbanus disceptabat [2] : quæ cognitiones hoc tempore frequentissimæ fuerunt, præsertim apud Senatores, propter dissolutos mores ritusque arcanos ex Oriente a tertio post Christum natum sæculo, ut ritibus christianis opponerentur, Romam translatos [3]; in quibus causis Senatores ipsi, quæstioni et tormentis extra ordinem submissi, plerumque morte, atroci legum severitate, tanquam læsæ majestatis rei, plectebantur [4]. Quemadmodum, in anterioribus sæculis, christiani, deorum contemptores et *odium generis humani*, vesano furore atque incredibili feritate inquisiti, miris suppliciorum generibus ac inhumana crudelitate laniati, ad Præfecti tribunal deferri solebant; unde tot Præfectorum Urbis

[1] Dig.. l. XLIII, tit. 1, l. 16. — *Cod. Theod.*, IV, tit. 22. — XI, tit. 37. — VIII, tit. 4. — Symm., l. X, ep. 48.

[2] Cass., *Var.*, IV, 22. — Amm., l. XXVI, c. III. — *Ibid.*, XXVIII, c. I. — *Cod. Theod.*, XVI, De Maleficiis, De Hæreticis, De Manichæis. — *Cod. Just.*, I, tit. 5., De Hæreticis et Manichæis. — IX, tit. 18., De Maleficis et Mathematicis et cæteris similibus.

[3] J. B. Rossi, *loc. laud. supra.*

[4] Cass., *Var.*, ibid.

nomina in sacris Ecclesiæ Fastis, christianis scriptoribus et Martyrum Actis occurrunt [1].

Supra tribunal non in foro Romano vel comitio, sub cælo aperto erectum [2], sicut olim Prætor urbanus, sed intra parietes ædium, in auditorio [3] quod a Symmaccho *secretarium* vocatur [4], foribus tamen apertis, ut judicia publica forent, diebus fastis et horis lege constitutis [5], Præfectus Urbi lites dirimebat. Quæ *secretaria* vel *secreta judicialia* [6], de quibus crebra in quarto sæculo occurrit mentio, quasi delubra erant magistratuum, ut prius basilicæ quæ magnifice ædificatæ atque exornatæ tribunalia judicum centumviralium aliorumque in intima parte continebant [7], et huic usui per totum medium ævum usque ad recentiora tempora, velut Ecclesia Sancti Petri, assignatæ fuerunt [8]. In qua vero Urbis regione secretarium Præfecti Urbani fuerit nullum certum indicium habemus, nisi forte illud secretarium Senatui conjunctum a Domitiano exs-

1 Cors., p. XXXVIII.

2 Walt., t. II, p. 342.

3 *Cod. Theod.*, I, tit. 16, l. 9, Paratitlon. — *Cod. Just.*, I, t. 45, l. 1.

4 Symm., l. X, ep. 36.

5 Hollweg., III, *Gerichts Ort und Zeit*, p. 189-194.

6 Amm., l. XV, c. VII. « ... Tanquam in judiciali secreto... »

7 *Beschreibung der Stadt Rom.*, III, 2, p. 86. « Hintere Theil der Basilica Julia war naturlich den Gerichten gewidmet. Es scheint dass das Centumviralgericht in ihr Stattfand. »

8 *Ibid.*, III, 1, p. 349. « Ausdrückliche Nachrichten versichen dass noch im Jahre 1521 in dieser Kirche (Aracoeli) Gericht gehalten wurde. » — *Ibid.*, II, 1, p. 114. « Erhielten die Civil und Criminalrichter der Stadt Rom in die Peterskirche ihren Gehalt. »

tructo in octava regione, prope clivum Capitolinum et arcum Severi triumphalem [1], ubi surgit hodie Ecclesia sanctæ Martinæ [2], Senatus tabularium et Præfecti auditorium simul exstiterit : quod amplissimi Senatus secretarium, fatali igne absumptum, ut ex inscriptione quadam in eadem Ecclesia detecta [3] comperimus, sub Principibus Theodosio Juniore et Honorio ab Euchario Epiphanio tunc Præfecto Urbis Romæ instauratum et ad pristinam faciem reductum fuit. Cæterum non semper in secretario, sed etiam publice, insidens vehiculo [4], vel in amphitheatrali curriculo, undatim coeunte plebe [5], causas dispiciebat Præfectus Urbi criminum maximorum ibique sontes torqueri jubebat: cujus severitatis exempla Ammianus de Leontio et Aproniano Præfectis Urbi loquens retulit [6].

Præfecto Urbi sicut cæteris magistratibus cognitionis forma præscripta erat ut solus cognoscere non posset de aliqua re, sed assessoribus vel consiliariis uteretur qui, Curatores quatuordecim regionum et Consulares viri, negotia urbana cum Præfecto audirent omnesque, aut magna pars adesset, quum acta fierent [7]; quapropter in lapidibus *Consilium Præfecti* memoratur [8].

1 Preller, *Curiosum Urbis*, p. 12.
2 Beschreibung, III, 2, p. 109 et seqq. — Handbuch, I, p. 354-355.
3 Orell.-Henz., n° 28.
4 Amm., l. XV, c. VII.
5 *Ibid.*, l. XXVI, c. III.
6 *Ibid.*
7 Lamprid., *Vit. Alex. Sev.*, c. XXXIII
8 Orell.-Henz., n° 6519.

In foro urbano, quemadmodum in aliis, quidam instituti erant advocati vel causidici qui, facundiæ studiis eruditi, reos defenderent atque causas orarent apud Præfectum Urbi [1]. Hi forenses oratores Præfecturæ urbicariæ inter quos plurimi claruerunt eloquentiæ magistri, consortium quoddam vel collegium togatorum constituebant in octoginta virorum præter tirones et supernumeriaros numerum semper redigendum [2]; nam ex Principum rescriptis de advocatis diversorum judiciorum [3] manifeste errat Drackenborchius quum illos septuaginta tantum numero fuisse affirmat [4]. Qui advocati, sicut cætera Urbis Romæ corpora, sub Præfecti jurisdictione positi erant, atque apud Præfectum militabant [5], mercede quadam certa donati et privilegiis virorum hujusmodi aucti, ipsi eorumque posteri, ac, militiæ labore decurso, post quintum decimum advocationis annum, Vicariæ dignitatis jus potestatemque obtinebant [6], sic ad honores viam sibi munientes, quum multi ex causidicis Correctores provinciarum, Proconsules, Præfecti aut etiam Consules crearentur, ipsique Imperatores ordinem advocatorum semi-

[1] Drackenb., c. VI. — Lampr., *Vit. Sev.*, c. XXXV. — Cass., *Var.*, VI, 4.

[2] Hollweg., III, p. 161 et seqq. — Walt., t. II, p. 433-435.

[3] *Cod. Theod.*, II, tit. 10, De postulando, Paratitlon. — *Cod. Just.*, II, tit. 7, l. 16, De advocatis diversorum judiciorum.

[4] Drackenb., *loc. cit.*

[5] Cass., *Var.*, VI, 4.

[6] *Novellæ Theodosii et Valentiniani*, De postulando. — Drackenb., *loc. cit.* — *Cod. Just.*, III, tit. 7, l. 8.

narium dignitatum vocarent, adderentque universis honoribus dignos qui advocati esse meruerint[1].

Tanta prorsus Præfecti auctoritas fuit ut reos omnes, immissis apparitoribus, in vincula compingere et in eos animadvertere posset varias pro atrocitate delicti pænas irrogando[2]. Jus enim habebat delinquentes non modo exsilio puniendi, id est, Urbe et regionibus vicinis interdicendi, sed etiam relegandi ab Italia, in insulas deportandi, quæ deportatio à relegatione differebat, quod deportatus civitatem et bona amitteret, non item relegatus, denique ad metalla damnandi atque etiam capitali supplicio afficiendi[3], supremamque gladii potestatem vel merum imperium excercebat[4] et sententias a magistratibus qui id facere non poterant, sicut a Pontificibus contra Virginem Vestalem, ipse exsecutioni mandabat[5].

Non modo intra muralem Urbis aggerem, cujus ambitus ab Aureliano ampliatus[6] undecim millia passuum[7] cum trecentis ferme millibus hominum[8], post-

1 *Novellæ*, ibid.

2 Cors., p. XXXVII.

3 Ulp., *Lib. Sing. de officio Præf. Urbis.*

4 Drackenb., c. VI.

5 Cors., *ibid.*

6 Vop., *Vit. Aurel.*, c. XXXIX.

7 Handb., I, p. 187-188. — Beschreibung, I, p. 678. — Nibby, *Mura di Roma*, p. 382. — Olympiod., *Phot. Bibl.*, 80.

8 Gregorovius, Bd. 1, p. 146. « Ihre Bevölkerung musste sich seit der Theilung des Reichs und seit der immer grosseren Verarmung der Stadt wie der Provinzen bedeutend vermindert haben, und sie überstieg schwerlich die Zahl von 300.000 Einwohnern, vielmehr dürfte auch diese für das damalige Rom schon zu gross erscheinen. »

quam multi Constantinopolim immigravissent, tenebat, Præfecti jurisdictio includebatur, sed etiam extra Urbem, usque ad centesimum lapidem, ut supra diximus, protendebatur, hoc est in provincias *suburbanas* quæ *urbicariæ* quoque vel *suburbicariæ* appellantur.

De suburbicariis urbicariisque regionibus certamen litterarium inde a decimo septimo sæculo vel in Gallia, vel in Germania multa et diversa scripta excitavit. Alii quidem inter quos eminet Gothofredus cui Böckinius ipse assentitur [1], regiones suburbicarias, urbicarias vel suburbanas idem esse putant atque centesimum milliarium easque cæteris Italiæ regionibus quæ *annonariæ* vocantur opponunt, ita in quarto sæculo dictæ quia annonas ad Imperatorem Mediolani sedentem exercitumque alendos necessarias præberent. Alii autem quorum primus exstitit Sirmundus noster [2] in cujus verba nuperrime juravit Mommsenius [3], regiones suburbicarias vel urbicarias eas esse volunt quæ sub Vicarii Urbis Romæ dispositione erant, canonem frumentarium Urbis Romæ præbentes, omnemque Italiam inferiorem comprehendentes, id est *Campaniam, Tusciam et Umbriam, Picenum suburbicarium, Samnium, Valeriam, Apuliam et Calabriam, Brut-*

[1] Gothof., *Comment. Cod. Theod.*, passim. — Böck., II, c. IV, p. 172-173. — Walt., t. I, p. 566. — Hollweg , t. III, p. 61-62.

[2] Sirmundus, *De regionibus suburbicariis et de ecclesiis suburbicariis*, opusculum (opera edit. Venet, t. IV).

[3] Mommsen., *Römische Feldmesser*, t. II, p. 200. und folgg (libri coloniarum).

*tios et Lucaniam, Sardiniam, Corsicam, Siciliamque ipsam*, usque ad Macram amnem et Æsim fluvium, dum Italiæ superioris provinciæ, proprie *Italia* dictæ, vel *annonariæ*, id est, *Venetia et Histria, Æmilia, Liguria, Flaminia et Picenum annonarium, Alpes Cottiæ, Rhetiæ prima et secunda*, Vicario Italiæ subjicerentur, utraque diocæsi sub dispositione Præfecti Prætorio Italiæ posita[1].

Suburbicarias quidem regiones vel suburbanas eas fuisse provinciarum Romam circumjacentium partes intra centesimum milliarium, propter ipsam Urbis vicinitatem ita cognominatas et ad jurisdictionem Præfecti Urbi pertinentes liquido apparet : quæ opinio etiam *suburbicariarum Ecclesiarum* appellatione ad hunc diem servata comprobatur[2] : quæ Ecclesiæ sub Lateranensi jurisdictione positæ, septemque numero, videlicet *Ostiensis, Portuensis, Silvæ Candidæ vel sanctæ Rufinæ, Sabinensis, Prænestina, Tusculana et Albana*, omnes omnino centesimo ab Urbe lapide continentur[3]. Quæ suburbicariæ regiones pro quatuor regionibus, e quibus calcem calcis coctores Romam vehebant, nullo modo ut Gothofredus et Böckinius existimaverunt[4], acci-

1 *Not. Dignit.*

2 Dyer., *A history of the City of Rome, its structures and monuments from its foundation to the middle ages*. London, Longmanns, Green and Co. 1865. Sect. v. p. 331.

3 Gregor., I, p. 271. — *Itinerarium Antonini*, edid. Wesseling, in-4. Amstelodami, 1735.

4 *Cod Theod.*, XIV, tit. 6, De calcis coctoribus, l. 1. — Böck., II, p. 173.

piendæ videntur, nam, præter Tusciam et Umbriam in notitiis civilibus et ecclesiasticis semper tanquam in unam provinciam conjunctas [1] et Picenum suburbicarium, Valeria etiam, Samniique partes et Latium postea Campaniæ Felici annexus Locique nomine designatus [2], intra centesimum milliarium comprehendebantur.

Urbicariæ autem regiones quarum prima seu antiquissima in constitutionibus imperatoriis sub Constantio, anno circiter 357, occurrit mentio, nisi cum suburbicariis omnino confundantur, non tam facile definiri possunt : quippe quæ nusquam speciatim sed indefinite semper nominentur, ita tamen ut cæteris Italiæ regionibus Africanisque provinciis ac Siciliæ opponantur [3]; unde fit eas regiones non idem esse atque *Urbis Romæ annonarias*, quæ Africam complecterentur, aut *Vicarianas* quæ Siciliam ipsam comprehenderent. Porro neutiquam urbicariæ regiones suburbicariis, nisi quum *Rationalem Rei Privatæ per Urbem Romam et suburbicarias regiones* ac *Procuratorem Rei Privatæ per Urbicarias regiones* Notitia designat, opponuntur [4], sed tantum annonariis, ut *Picenum urbicarium vel suburbicarium Piceno annonario*, *Tuscia urbicaria*

[1] Rossi, *Bullet. d'archeolog. christ.*, 1871, n° 3, p. 84. — Orell.-Henz., n° 5580. — *Libellus Provinciarum Codicis Veronensis.*

[2] *Cod. Theod.*, IX, tit. 40, l. 32.

[3] *Ibid.*, IX, tit. 30, l. 3. — XI, tit. 2, l. 3. — XI, tit. 13, l. 1. — XI, tit. 16, l. 9. — XI, tit. 28, l. 14.

[4] *Not. Dign.*, II, p. 53.

*vel suburbicaria Tusciæ annonariæ*, utramque Arno fluvio disterminante[1], opponi solet. Cæterum per quartum sæculum variæ fuerunt Italiæ divisiones, variaque provinciarum nomina non iisdem semper finibus circumscriptarum, ut ex *Libello provinciarum* constat, seu recensione circa annum 365 facta, ut jure arbitratur Mommsenius[2]; in qua Picenum post Flaminiam legitur sine distinctione suburbicarii annonariique[3], neque Valeriæ ulla fit mentio primum in rescripto memoratæ Imperatorum Arcadii et Honorii ad Benignum, Vicarium Urbis Romæ, anno 399 emisso,[4] atque in *Notitia Dignitatum*[5] ubi cum Piceno suburbicario, Flaminia et Piceno annonario inter septemdecim provincias sub dispositione Præfecti Prætorio Italiæ positas[6] numeratur. Sicilia etiam, antiquitus in formam provinciæ redacta, quum regiones, nullæ autem provinciæ in Italia essent, aliquando ab Italia separatur, quemadmodum Corsica et Sardinia, ævo posteriore ab Italia separatæ, Africæ adjunctæ sunt[7]. Quæcumque vero urbicariarum et suburbicariarum regionum definitio

1 Mommsen., *op. cit.*, p. 207-211, — Amm., l. XXVII, c. III. — *Röm. Feldmesser*, I, p. 346. (Gaius et Theodosius auctores)... Terminus testacius in p. CCCCL per Tusciam urbicariam et annonariam.

2 *Libell. Provinc.* — Mommsen., p. 210.

3 Böck., II, p. 432.

4 Gothof, *Cod. Theod.*, IX, tit. 30, l. 5.

5 Mommsen., *ibid.*

6 *Not. Dign.*, II, p. 9-10.

7 Mommsen., p. 201, not. 96. — *Ibid.*, p. 172.

pro vera accipiatur, nulli dubitare fas est quin propria Præfecti Urbis jurisdictio intra centesimum milliarium inclusa fuerit.

Duplex erat Præfecti jurisdictio[1], *ordinaria* scilicet et quæ *vice sacra* dicitur. Ex *ordine* vel *ordinario jure* de Senatoribus in civilibus et criminalibus causis, utpote Senatus præsul, Præfectus Urbi cognoscebat[2], quod variis post Constantinum Principum constitutionibus et formula Præfecturæ urbanæ apud Cassiodorum plane demonstratur[3]; unde fit ut forum urbanum proprium et competens Senatorum esset forum, quocumque loco larem foverent aut assidue versarentur. Postea vero id mutatum sub hac distinctione ut Senatores in Urbe a Præfecto Urbi, in provinciis autem à Rectoribus sine fori præscriptione judicarentur[4]; ita tamen ut hi nil decernere neque sententiam exe-

[1] Hollweg., III, p. 60. « Seine Gerichtbarkeit ist eine doppelte, theils eine ordentliche in erster Instanz, theils eine höhere an des Kaisers Statt. »

[2] *Cod. Theod.*, II, tit. 1, de foro senatorum, l. 4. Impp. Valent. et Valens AA. ad Tarentium Correctorem Tusciæ. « Actor rei forum sequatur. Ita ut, si Senatores aliquid a Provincialibus poscunt, eo qui Provinciam regit cognitore confligant; si vero Provincialis non suscipiat sed inferat actiones, Præfecto Urbis disceptante decertet. » — Hollweg., *ibid.* « Der ersten sind vorzüglich alle Senatoren unterworfen, deren Vorstand und Richter er ist, in Civilsachen, wenn sie Beklagte sind, und in Criminalsachen. »

[3] Cass., *Var.*, VI, 4. « ... eoque fit ut illi utantur in Senatu potestate qui apud te trepidant dicere proprias causas... De talibus disceptas quos tibi cognoscis esse potiores. »

[4] Walter, II, p. 381. « Die Senatoren hatten seit Constantin ihr Forum beim Stadtpräfecten, was jedoch später bei den Senatoren, welche in den Provinzen domicilirt waren, modificirt wurde. »

cutioni mandare possent[1], sed ad Præfectum Urbi vel ad Præfectum Prætorio referre deberent; ad Præfectum Urbi ex suburbanis provinciis, de cæteris ad Præfectum Prætorio. Si civiles tantum forent causæ, Præfectus jure suo dirimebat; ubi vero de Senatorum capite agebatur, quinque judices alios ex Summatibus, id est, Senatoribus sorte ductos non voluntate propria electos adhibere debebat: quæ judicii forma a Gratiano statuta et usque ad posteriora tempora servata, *quinqueviralis* nuncupabatur[2].

*Vice* quoque *sacra*, hoc est delegatione Principis mandata causas Præfectus Urbi judicabat de quibus a judicibus minoribus urbanis, nimirum a Præfecto annonæ, a Præfecto Vigilum, a Prætore urbano, a Rationali Urbis Romæ, quum negotium de quo agebatur ducentarum argenti librarum summam non excederet[3], vel a judicibus provincialibus qui intra

[1] *Cod. Just.*, III, tit. 24, Ubi Senatores, l. 2.

[2] *Cod. Theod.*, IX, tit 1, l. 13. Impp. Valens, Grat. et Valent. A. A. A. ad Senatum. « Provincialis Judex, vel intra Italiam, cum in ejus disceptationem criminalis causæ dictio adversum Senatorem inciderit, intendendi quidem examinis et cognoscendi causas habeat potestatem, verum nihil de animadversione decernens, referat ad Scientiam Nostram vel ad Inclytas potestates. Referent igitur Præsides et Correctores, etiam Consulares, Vicarii quoque, Proconsules, de capite, ut diximus, Senatorio, negotio examine habito. Referant autem de suburbanis Provinciis Judices, ad Præfecturam sedis urbanæ, de ceteris ad Præfecturam Prætorio. Sed Præfecto Urbis cognoscente de capite senatorum... judicium Quinquevirale sociabitur et de Præsentibus et administratorum honore functis licebit adjungere sorte ductos, non sponte delectos. »

[3] Hollweg., III, p. 60-62. — Handb., II, 3, p. 280. — Symm., l. X, ep. 55. — *Cod. Theod.*, XI, tit. 30, De appellationibus, l. 18 et 49.

centesimum ab Urbe lapidem jus dixerant[1], aliquando etiam ab ipso Vicario Urbis Romæ provocabatur[2]; ideoque inter *judices sacros vel sacrarum cognitionum* numeratur ejusque tribunal *sacrum auditorium* dicitur[3], ubi formalibus verbis causæ allegabantur eamdemque vestem partes et advocati, qualem in consistorio, solemni ritu ingredientes, induebant[4]. Quod jus appellationis Præfectus Urbi non modo ex prærogativa rescripti aut ex delegato, sed ex officii necessitate vel ex sua jurisdictione habebat, ut qui imaginem principalis disceptationis cum suo magistratu acceperat[5]; neque cum speciali Principis delegatione confundi debet quæ, etiamsi non ex ipsa judicis qualitate sed ex imperiali tantum jussu procederet[6], parem tamen dignitatem peculiaremque titulum conferebat; ita ut sæpe in inscriptionibus post *Præfectum Urbi* statim *Judex sacrarum Cognitionum* legatur, his duobus titulis nullo inter se vinculo cohærentibus, quandoquidem civis unus idemque *Præfectus Urbi, vice sacra iterum judicans*, vel *iterum Præfectus Urbi, Judex sacrarum Cognitionum tertium* in uno eodemque marmore vocatur[7].

1 Böck., II, p. 173.
2 *Cod. Theod.*, XI, tit. 30, l. 61.
3 Cors., p. XXXI.
4 Hollweg., III, p. 179-180.
5 Gothof., *Cod. Theod.*, XI, tit. 30, l. 11. — Symm., II, ep. 30.
6 Handb., II, 3, p. 281.
7 Orell.-Henz., n° 3672, n° 5584.

Et vel latius interdum, ultra centesimum lapidem, per Italiam ipsasque transmarinas Africæ regiones cognitio ejusdem Præfecti *Vice Principis* extendebatur [1]. Varia certe pro temporibus Præfecturæ urbanæ provocatio fuit [2] : ab Imperatore quidem Floriano, sicut Vopisci testimonio erudimur, universa decreta est [3]; ita ut ad Præfectum Urbis redirent appellationes omnium potestatum et omnium dignitatum. Mox vero, post Constantinum, sacra cognitione Proconsulibus, Comitibus, Vicariis tributa atque ad hos appellationibus decretis, auctaque in majus Præfecti Prætorio dignitate et jurisdictione, jus istud appellationum ex Italia aut Africæ provinciis quod prius Præfecto Urbi competebat ad Præfectum Prætorio translatum est, nonnullis tantum adhuc relictis provinciis e quibus ad Præfectum Urbi appellaretur [4]. Rursum, paulo post, ex Sicilia

[1] Böck., II, p. 173. — Drackenb., c. VI.

[2] Hollweg., III, p 62-63. « Als Kaiserlicher Appellationsrichter nimmt er aus seinem eigenen Juridictionsbezirk die Appellationen der Judices Minores an. Ausserhalb desselben hat der Umfang seiner Appellationsbefugniss sehr gewechselt, indem ihm bald die Berufung aus ganz Italien, ja selbst aus überseeischen Provinzen zugewiesen, bald wieder entzogen und andern Judices Sacri zugewendet wurde. »

[3] Vop., *Vita Floriani*, c. v. « Omnis provocatio Præfecti Urbis erit : quæ tamen a proconsularibus et ordinariis judicibus emerserit..., Præfecturæ urbanæ adpellatio universa decreta est. »

[4] *Cod. Theod.*, XI, tit. 30, l. 27. Impp. Constant. A. et Julianus Cæs. ad Taurum P. P. « De Sardinia, Sicilia, Campania, Calabria, Brutiis et Piceno, Æmilia et Venetia et ceteris interpositas appellationes Laudabilis Sublimitas Tua more solemni debebit audire... Nec vero ulla poterit esse confusio : Præfectus enim Urbis, nostra responsione conventus, prædictis cognitionibus temperandum sibi esse cognovit. »

provincia, ex Apulia et Bruttiis, ut nos docet Symmachus [1], imo ex Africa sub Valentiniano tertio, in quinto sæculo, appellatio ad Præfectum Urbi rediit[2] : quod etiam sub Gothorum dominatione observatum est, nam in Cassiodoriana formula ex designatis lege provinciis Præfectum ab appellatione cognoscere legimus [3].

A Præfecto Urbi appellari licebat et, si interponeretur provocatio, ab eo tanquam a cæteris judicibus illustribus fiebat ad Imperatorem [4]. Jam Augusto suaserat Mæcenas ut illæ tantum causæ foro Præfecti Urbis subjicerentur a quibus dabatur appellatio : *Δίκαζε δὲ καὶ αὐτὸς ἰδίᾳ τάτε ἐφέσιμα καὶ τὰ ἀναπόμπιμα, ὅσα ἂν παράτε τῶν μειζόνων ἀρχόντων καὶ παρὰ τῶν ἐπιτρόπων, τοῦτε πολιάρχου καὶ τοῦ ὑποτιμητοῦ, καὶ τῶν ἐπάρχων, τοῦτε τὸν σῖτον ἐπισκοποῦντος, καὶ τοῦ νυκτοφυλακοῦντος ἀφικῆνται, μήτε γὰρ αὐτόδικος μήτ αὐτοτελὴς, οὕτω τις τὸ παράπαν ἔστω, ὥστε μὴ οὐκ ἐφέσιμον ἀπ αὐτοῦ δίκην γίγνεσθαι* [5]. Indiscrete primum a Præfecto Urbis appellari potuit. Mox autem Imperatores Constantius et Constans permiserunt ut sine provocatione jus diceret [6], sed aliquot post annis rursum ea lex contraria lege abrogata fuit et adpellatio, juris veteris auctoritate repetita, cuilibet cu-

[1] Symm., l. II, ep. 30-44. — *Ibid.*, X, ep. 51.
[2] *Novellæ Valent.*, l. XVIII, 12.
[3] Cass., *Var.*, VI, 4.
[4] Hollweg., III, p. 63. « Von ihm selbst wird an den Kaiser appellirt. » — Cors., p. XXXVI. — Drackenb., c. VI.
[5] Dio, l. LII, c. XXXIII.
[6] Hollweg., III, p. 63. « Nur vorübergehend ist er für inappellabel erklärt worden. »

juscumque conditionis litigatori libera permissa est[1], etiam Senatoribus qui ante a Præfecto Urbi, suo Præsule et cognitore proprio, appellare non poterant [2]. Tunc enim a solo Præfecto Prætorio inter omnes *vice sacra* judicantes provocare non licebat[3], quibusdam tamen causis exceptis quarum appellationes non recipiebantur, velut in momenti reformatione quam Symmachus inusitatam provocationem vocat[4]; et certa quædam solidorum summa appellabilis decreta est[5]. Quæ appellationum ratio cum paucis mutationibus usque ad Justiniani tempora prævaluit.

[1] *Cod. Theod.*, XI, tit. 30, l. 23. Impp. Constantius et Constans A. A., ad Rusticum P. V. « Dudum meminimus sancientibus nobis esse decretum, ut juris veteris auctoritate submota, nullus Clarissimus a P. V. sententia provocandi usurparet licentius facultatem; sed cunctas nobis partes publicæ utilitatis atque communis juris volentibus præstare, visum est ut vetustatis auctoritas et appellandi facultas et origo repetatur. » — *Ibid.*, XI, tit. 34, l. 2.

[2] Gothof., *Cod. Theod.*, XI, tit. 30. Paratitlon.

[3] *Cod. Theod.*, XI, tit. 30, l. 16. « ... A Præfectis autem Prætorio qui soli vice sacra cognoscere vere dicendi sunt provocari non sinimus; ne jam nostra contingi veneratio videatur... »

[4] Symm., l. X, ep. 41. — *Ibid.*, ep. 55 — *Cod. Just.*, VII, tit. 65, Quorum adpellationes non recipiuntur.

[5] Hollweg., p. 63, not. 32. — Gothof., ad lib. XI, tit. 30, l. 11, eine summa appellabilis von 100 soldi bestimmt.

# CAPUT IV

## DE ADMINISTRATIONE

Non solum judicandi, sed etiam administrandi potestatem Præfectus habebat, nam utraque potestas apud nos separata, semper apud Romanos conjuncta fuit[1], ideoque *Urbis Præsul*, *Tutor*, *Rector*, *Moderator*, *Curator*, atque etiam apud poetas *Villicus Urbi* appellatur[2]; nempe cura omnium rerum vel ad privatam civium securitatem vel ad communem civitatis universæ tranquillitatem pertinentium, Præfecto committebatur[3]; ita ut plura et utilia disponeret quorum præcipua saltem enumeranda sunt.

Ac initio quidem Annona Civica quam olim

[1] Hollweg., III, p. 176. « Ist es ein allerdings aus der früheren Zeit überkommener Grundsatz, dass regelmässig mit der Verwaltung (administratio) auch Richtergewalt (jurisdictio) verbunden ist. Daher die Kaiserlichen Beamten bald *administratores* (ἄρχοντες), ihr Amt *administratio* (ἀρχή), bald *Judices* genannt werden. »

[2] Juv., sat. IV, v. 77.

[3] Böck., II, p. 176.

Ædiles curabant, ad ipsum spectabat; quare frumenti aut vini comparandi, in horreis publicis servandi atque civibus Romæ degentibus erogandi munus ipsi committebatur, ne Urbs unquam annonæ caritate premeretur, indeque jurgia, querelæ, seditiones in plebe otiosa et inquieta orirentur, quod assidue Romæ contigisse accipimus [1]. Hæc summa fuit Præfectorum cura ac sollicitudo : quippe laudabatur Præfectus cujus Præfectura seditionibus caruerat, si Romæ omnium rerum copia fluxisset, vitioque contra ei vertebatur si propter inopiam panis aut vini turbæ excitarentur, quarum pericula Præfecto plerumque imminebant, quoniam plebs credebat ejus avaritia frumentum flagellari [2]. Itaque, si classis Africana casibus maris asperioribus impediretur quo minus tempore congruo alimenta Urbi necessaria veheret, portumque Augusti introiret, Præfectus Urbi, comitante omni populo, ipse ad Ostia Tiberina pergebat, ibique in æde Castorum sacrificabat ut Dii a populo Romano iram avertere vellent, mutatoque in austrum placidum vento, velificatione plena portum naves exoptatæ ingrederentur [3].

Quamobrem Urbis Præfecto peculiari quodam jure concessum fuit ut ipse custodes ac mensores eligeret [4],

[1] Amm., l. XXVI, c. III.
[2] Drackenb., c. VII.
[3] Amm., l. XXVII, c. III; l. XIX, c. X.
[4] *Cod. Theod.*, XIV, tit. 23, Portuenses mensores.

ponderaque in emptionibus et venditionibus usitata inspiceret[1], ac mensuras ad exemplum earum quæ in Capitolio erant auctoritate sua probatas, suo nomine inscriptas certoque charactere signatas[2] per regiones institueret[3]. Hinc *Pistores, Molendinarii, Navicularii*, panibus formandis vel frugibus importandis addicti, ejus auctoritati subjiciebantur[4], reosque ad pistrinum Urbis damnatos Præfectus Pistoribus tradebat. Pretia quoque frumenti, vini, olei atque etiam suillæ carnis populo Romano erogatæ illius edictis sanciebantur[5], ita ut justo pretio præberentur; eique igitur, non jam Senatui, commissa erat *arca quæstoria* vel *ærarium populi Romani*[6] cui *foricularium, ansarium promercalium*[7], aliaque vectigalia a quibusdam provinciis conferebantur[8], quorum subsidio annona ex Hispania et Ægypto coemebatur[9]. Denique, quum panis Ostiensis seu fiscalis, ita dictus ab ostiis porticus Minuciæ frumentariæ[10], ubi tesseræ annonariæ

1 Amm., l. XXVII, c. IX.
2 Orell.-Henz., n°s 4346-4347.
3 *Cod. Theod.*, XIII, tit. 5, De naviculariis; XIV, tit. 3, De pistoribus.
4 Aproniani decretum (Haubold, *monumenta antiqua.)*
5 *Cod. Theod.*, XI, tit. 2, Tributa in ipsis speciebus, l. 2.
6 Walt., I, p. 553.
7 Orell.-Henz., n° 3344.
8 Gothof., *Cod. Theod.*, XI, tit. 1.
9 Symm., l. X, ep. 50.
10 *Handb.*, III, 2, p. 106. — Böck., II, p. 185. — Fabretti, p. 235, n° 618. FRVMENTUM. ACCEPIT. DIE. X. OSTIO. XXXIX. — *Ibid.*, p. 234, n° 617. FRUM. AC. D. VII. OSTIO. XV.

distribuebantur [1], civibus venderetur, aut etiam gratis plebi per singulas Urbis regiones in gradibus ad id exstructis [2] quotidie ac viritim divideretur [3], huic erogationi adesse Præfectus debebat, ne panis immundus erogaretur neve immeritis daretur, sicut et vini, olei atque carnis divisioni præerat [4].

Præter annonam opera publica Præfectus Urbi curabat, ut Urbs illa sacratissima quæ imperii sui terminos in terras maxime longinquas protulerat, pro majestate populi Romani ædificiis publicis et privatis quam ornatissime excoleretur : quæ cura sub Imperatoribus maxima fuit, ut ex innumeris scriptorum locis apparet. Ex hac autem parte duplex erat Præfecti munus, scilicet ædificia vetustate collapsa reficiendi et nova excitandi, ea tamen conditione ut prius antiqua redderentur quam nova inchoarentur, ne Urbis splendor et magnificentia deformibus ruinis uspiam corrumperetur : quod studium restituendi majus semper fuit quam instruendi [5],

1 Böck., II, p. 185.

2 *Cod. Theod.*, XIV, tit, 17, De annonis civicis.

3 Walt., I, p. 558. « Die Vertheilung der Brode geschah täglich an gewissen erhöhten Plätzen. »

4 Drackenb., c. VII.

5 Gregor., t. I, p. 65. « Es war die Pflicht des Stadtpräfecten, über die offentlichen Gebaüde die Statuen und Triumfbogen, Kurz über alles zu wachen, was Rom verschönte. . . . . . . . . . . . . . . Die Reichenfolge der Edicte aller folgenden Imperatoren lehrt, dass ihre Fürsorge sich auf die Prachtwerke Rom's ohne Unterschied erstreckte. Gesetze verboten den Präfecten und den ubrigen Richtern oder Beamten neue Gebaüde in Rom aufzuführen, statt ihre Sorgfalt auf die Erhaltung der alten zu lenken. » — Cass., *Var.*, III, 9. — Amm., l. XXIX, c. VI. « Hic ipse Præfectus (Claudius). . . . . . . . instauravit vetera plurima... »

præsertim per quartum sæculum, apud Imperatores christianos, postquam ædes Templorum vel intra vel extra muros positæ cum prisca superstitione erui cœperunt. Itaque omnem ædificia vetera excolendi et instaurandi, nullam autem opus aliquod novum moliendi aut adornandi licentiam Præfecti Urbi sine Senatus auctoritate vel Principis arbitrio habebant [1], illisque operibus præerant, quæ Augusti ipsi ædificabant atque ædificiis ita instauratis vel exstructis nomen proprium inscribebant, addentes se vel refecisse vel condidisse. Hinc plurimæ inscriptiones et elegantissimi lapides in corpore Orelliano exstant ubi Urbis Præfectus erigendam statuam, pontem condendum, thermas vel formas aquarum reparandas, porticum excitandam, basilicam ornandam curasse, denique monumentum aliquod squalore fœdatum ad cultum pristinum revocasse dicitur [2]; unde Præfecti ambitiosiores exstructionem ædificiorum illis titulis sibi vindicabant licet tantum pauca quædam reparavissent [3].

[1] *Cod. Theod.*, XV, tit. 1, De operibus publicis, l. 11. Impp. Valent. et Valens A. A. ad Symmachum P. V. « Intra urbem Romam æternam nullus Judicum novum opus instauret, quotiens Serenitatis Nostræ arbitria cessabunt. Ea tamen instaurandi quæ jam deformibus ruinis intercidisse dicuntur, universis licentiam damus. » — *Ibid.*, tit. 1, l. 19. Impp. Valens, Grat. et Valent. A. A. A. ad Senatum. « Nemo Præfectorum Urbis, aliorumve Judicum quos potestas in excelso locat opus aliquod novum in Urbe Roma inclyta moliatur, sed excolendis veteribus intendat animum... »

[2] Orell.-Henz., *passim*.

[3] Amm., l. XXVII, c. III. « Per omnia civitatis membra, quæ diversorum Principum exornarunt impensæ nomen proprium inscribebat, non ut veterum instaurator, sed conditor. »

Ea vero erat Præfecti potestas ut privatorum domos ab ædibus publicis non legitimo intervallo separatas, propter ornatum publicum aut incendiorum metum, amoveri juberet : quod jus ei competebat si usque ad quinquaginta libras argenti æstimatio pretii taxaretur; de ædificiis vero majoris meriti ad Principis scientiam referre debebat [1].

Ne autem ad hæc omnia perficienda deesset pecunia, ex ærario certa summa constituta erat in exstruendis vel reficiendis ædibus impendenda [2]. Ei præcipue rei pondus quoddam argenti a Prætoribus deputabatur fabricis Urbis Romæ provida ratione profuturum atque ad *officium Præfecti* directum [3], ac, si expensis a defectu sumptuum vindicandis solita vectigalia non sufficerent, id clarissimæ Urbis dignitati datum ut ex minorum civitatum viribus adsumeretur atque suppleretur [4]. Præerat Præfectus Urbi architectis iisque mercedem qua conducti erant solvebat; hos architectos, mechanicos aliosque ædificiorum redemptores cogebat ut ea perficerent quæ redemerant [5]. Ipse materiam ad exstructionem monumentorum necessariam, scilicet ferrum, plum-

1 Amm., l. XXVII, c. IV. « Namque et Mæniana sustulit omnia, fabricari Romæ priscis quoque vetita legibus, et discrevit ab ædibus sacris privatorum parietes, iisdem inverecunde connexos. » — *Cod. Theod.*, XV, tit. 1, l. 30. — *Ibid.*, l. 25.

2 Cass., *Var.*, II, 34.

3 *Cod. Theod.*, VI, tit. 4, De prætoribus, l. 13.

4 *Ibid.*, XV, tit. 1, l. 26. — Symm., l. X, ep. 50.

5 Cass., *Var.*, I, 6. — Symm., X, ep. 38-39. — Cf. *Cod. Theod.*, XV, tit. 1, l. 24.

bum, æs, calcem, cœmentum aut similia quæque adquirebat [1], ideoque *vectores* et *coctores calcis* sub dispositione ejus erant [2], omnesque lites ac controversiæ quæ circa exstructionem domorum publicarum vel privatarum movebantur coram eo decidebantur. Qua tamen in re nimio plus sibi indulgere Præfectus vetitus erat, quippe cui omnino temperandum esset quominus per aliorum publicorum operum ruinas, effossis nobilium ædificiorum substructionibus aut marmorum frustis spoliatarum ædium deformatione convulsis, nova opera excitarentur [3]; ita ut Præfectus qui opus novum intra Urbem præter conscientiam Principis dedicare vellet, id non publica collatione, sed ære suo absolveret [4] et, quæcumque habita fuisset vectigalium usurpatio, in cognitionem imperialem derivaret quantum præsumptum, per quos expensum, quatenus consummatum [5].

Ludos quoque curabat Præfectus Urbi quibus populus Romanus, spectaculorum semper adpetentior etiam sub Imperatoribus christianis, adeo delectabatur ut nihil acceptius haberet, maximamque diei partem circis aut theatris impenderet, « per minutias, ut ait Ammianus, histrionum, saltatorum,

1 Amm., l. XXVII, c. III.
2 *Cod. Theod.*, XIV, tit. 6, De calcis coctoribus.
3 *Cod. Theod.*, XV, tit. 1, l. 19.
4 Cors., p. XLII.
5 *Cod. Theod.*, XV, tit. 1, l. 26.

aurigarum equorumque præcipua vel delicta scrutans [1]. » Quo melius huic populi studio inserviretur, Prætores ex ordine candidato designati et Quæstores munera edere cogebantur pro quibus maximos sumptus faciebant [2], aliquando etiam tota patrimonia consumebant; ita ut certa pecuniæ summa lege constituta fuerit quam excedere non liceret [3]. Quibus ludis aut spectaculis rite splendideque celebrandis Præfectus præsidebat et cavere debebat ne quis populi lætitiam atque Urbis tranquillitatem perturbaret neve rixæ pugnæque cruentæ, propter studia quatuor notissimarum factionum, cierentur [5]; ideoque sæpius agitatores circenses aliosve tumultus auctores rapi jubebat atque de iis in secretario circi, procul a conspectu hominum, post certaminis tempus, supplicium sumebat [6].

Non modo in circis et theatris sed etiam per omnes civitatis regiones ac vicos diu noctuque popularium quies ad Præfectum Urbis pertinebat : cui curam Imperatores injunxerant ut circumspiceret ne cœtus usquam illicitus, hæreticorum exempli gratia, vel in publico vel in privatis ædibus haberetur, statuta condemnatione centum librarum auri

1 Amm., l. XIV, c. VI.
2 *Cod. Theod.*, VI, tit. 4, De prætoribus, Paratitlon.
3 Symm., l. IX, ep. 115.
4 Cors., p. XLI.
5 Ulp., De officio Præf. Urb.
6 Cors., p. XLI.

contra officium ejus si cunctos hæreticos ab Urbe et vicinis locis non exterminaret [1].

Statuebat ipse Præfectus ne tabernæ vinariæ ante certam horam aperirentur [2] neu vestes prohibitæ intra Urbem induerentur [3]. Scholaribus et adolescentibus discendi cupiditate propter magistrorum excellentiam Romam ex orbis Romani provinciis adfluentibus imminere debebat ut turpem inhonestamque famam et consociationes criminibus proximas devitarent, neve spectacula frequentius adirent aut intempestiva convivia adpeterent, adeo ut « si quis ex his non ita se gesserit quemadmodum liberalium rerum dignitas poscat, statim navigio superpositus Urbe abjiciatur aut, si post vicesimum ætatis annum, in patriam sponte remeare neglexerit, sollicitudine Præfecturæ etiam invitus redu-

[1] *Cod. Theod.*, XVI, tit. 5, De hæreticis, l. 30. Impp. Arcad. et Honor. A. A. Clearcho P. V. « Cuncti hæretici procul dubio noverint omnia sibi loca hujus Urbis adimenda esse... Præterea omnes Clerici hæreticorum ex sacratissima Urbe pellantur neque his finibus liceat convenire. Ad hoc interdicatur his omnibus ad Litaniam faciendam intra Civitatem noctu vel interdiu profanis coire conventibus : statuta videlicet condemnatione centum librarum auri contra officium Sublimitatis Tuæ, si quid hujusmodi fieri vel in publico, vel in privatis ædibus concedatur. » — Amm., XXVIII, c. I.

[2] Amm., l. XXVIII, c. IV. « ... Statuerat... (Ampelius) ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, neve aquam vulgarium calefaceret quisquam, vel adusque præstitutum diei spatium lixæ coctam proponerent carnem ; vel honestus quidam mandus videretur in publico. »

[3] *Cod. Theod.*, XIV, tit. 10, l. 2. Impp. Arcad. et Honor. A. A. ad Populum. « Usum Tzangarum atque Braccharum intra Urbem Venerabilem nemini liceat usurpare. Si quis autem contra hanc sanctionem venire temptaverit sententiam Viri Inlustris P. V. spoliatum eum omnibus facultatibus tradi in perpetuum exsilium præcipimus. »

« catur [1]. » Senatores itidem adolescentes, venia ætatis impetrata, ad officium Præfecti Urbis, de suis moribus et honestate perdocere jubebantur, priusquam in album senatorium transcriberentur [2].

Quod ad religionem christianam attinet, in eligendo Episcopo Romano et privilegiis ejusdem servandis partem quamdam habebat Præfectus Urbi; nam, quum discordantis populi seditiones tale negotium sæpe excitaret, Præfectus, convocatis regionum Primatibus ac populo commonito, disciplinæ publicæ quietique prospiciebat ut placide omnia finirentur nec quidquam contra sacræ legis ordinem aut contra consuetudinis rationem fieret [3], legitimique Episcopi ingressum in Urbem ac Lateranensem basilicam, dispositis apparitoribus qui eum ab omni periculo defenderent, parabat [4].

Illud quoque Præfecto jus competebat ut ipse, quotiens e re publica esse judicaret, cursu publico uteretur, aliisque etiam eo utendi licentiam daret, hoc est, ut ipse *evectiones* simili Præfecti Prætorio

[1] *Cod. Theod.*, XIV, tit. 9 De studiis liberalibus Urbis Romæ, l. 1.

[2] *Ibid.*, II, tit. 17, De venia ætatis, lex unica.

[3] Amm., l. XXVII, c. III. « Hunc quoque (Iuventium) discordantis populi seditiones terruere cruentæ, quæ tale negotium excitavere. Damasus et Ursinus supra humanum modum ad rapiendam episcopatus sedem ardentes, scissis studiis asperrime conflictabantur, adusque mortis vulnerumque discrimina adjumentis utriusque progressis. . . . . Et in concertatione superaverat Damasus, parte, quæ ei favebat, instante. Constatque in basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die centum triginta septem reperta cadavera peremptorum : efferatamque diu plebem ægre postea delenitam. »

[4] Symm., *Ep. Auctuarium*, 19, 31, (X, ep. 71-83, edit. Parei.).

potestate emitteret [1], dummodo hoc evectionum faciendarum arbitrium in publicis tantum causis usurparet, ingentique cautione procuraret ne in privatos usus ea licentia verteretur [2]. Legatos externos honoratosque omnes quibus negotium aliquod aut munus fuerat injunctum excipiebat [3]. Denique in quacunque re vel festa vel luctuosa ipsius munus fuisse videtur ut in publicum prodiret et ad populum subita verba faceret; absentibusque Consulibus, Kalendis Januariis, ipse in Capitolium pompa solemni ascendebat et civilem annum consuetis sacris statisque ritibus aperiebat [4].

[1] Böck., II, p. 206.

[2] *Cod. Theod.*, VIII, tit. 5, l. 19. Impp. Valent. et Valens A. A. ad Symmachum P. V. « Magnifica Sedes Tua evectionum facendiarum arbitrium in publicis tantum causis usurpet. Verum ingenti procurabitur cautione, ne parum considerata facilitas ita publicis incipiat visceribus imminere, ut fatigatione nimia pœnitentiam hujus concessionis suscipere cogamur. »

[3] Drackenb., c. x.

[4] Cors., p. XLIV.

# CAPUT V

## DE EPISTOLIS ET RELATIONIBUS PRÆFECTI AD AUGUSTOS

Superest, plurimis iisdemque prorsus diversis muneribus quæ in unum Urbis Præfectum congesta fuerant enumeratis, ut de epistolis et relationibus Præfecti ad Augustos, summos rerum dominos, pauca disseram : quod, ut mihi videtur, a scriptoribus qui hanc materiam tractaverunt, haud satis explicitum est. Licet enim tunc temporis non essent viæ illæ quas ingenia hominum nuper excogitaverunt, ita jampridem mira arte in imperio Romano omnia disposita erant ut ex omnibus imperii partibus quidquid a Judicibus aut Rectoribus provinciarum admissum fuisset, ad aures Principis perveniret.

Quod ad Præfectum urbanum spectat, non dubitari potest quin Imperatorem, veluti Symmachianæ epistolæ testantur [1], de omni re majoris momenti

[1] Symm., l. X. epist, *passim*.

quæ Romæ eveniret, certiorem facere debuerit.

Quippe per vices mensium singulorum ad scrinia sacra Senatus et Populi acta mittebat[1] quæ a scribis censualibusque de more excipiebantur[2], et in quibus omnia senatusconsulta, Augusta lege confirmanda[3], continebantur, id est, quidquid in amplissima Curia, intra hoc temporis spatium, de editionibus, gladiatoriis muneribus ac scenicis ludis[4], de excusationibus judicum eorumque nominibus ad varias functiones designandis[5], de professoribus eligendis aut remunerandis[6] aliisve causis publicis tunc ad Senatum, seu municipalem Romæ ordinem[7], pertinentibus deliberatum aut consultum fuisset[8]. Trimestres quoque instructiones de officio censuali solemniter sumptas ideoque *censuum breves* vocatas Præfectus Urbi ad comitatum dirigebat[9]: quibus instructionibus Principes edocebantur quid reverendo Ordini

1 Symm., l. X, ep. 37. « Per vices mensium singulorum ad perennitatis vestræ scrinia senatus et populi acta mittuntur. »

2 Capit., *Vita Gordianorum*. « ... Senatusconsultum tacitum fieret, ita ut non scribæ, non servi publici, non censuales illis actibus interessent, Senatores exciperent, Senatores omnium officia censualium scribarumque complerent. ».

3 Symm., l. X, ep. 21. « Superest ut ea quæ Serenitas vestra Patribus deliberanda legavit, cognito Senatusconsulto lex Augusta confirmet... »

4 *Ibid.*

5 *Cod. Theod.*, VI, tit. 4, l. 22.

6 *Ibid.*, VI, tit. 21, De professoribus, l. 1. Impp. Theod. A. et Valent. Cæs. Theophilo P. V. « ... Cœtu amplissimo judicante digni fuerint æstimati qui in memorato auditorio Professorum fungantur officio. »

7 Walt., t. I, p. 560.

8 Naudet, t. II, p. 253.

9 Symm., l. X, ep. 60.

et censibus senatoriis aut nova professio incrementi dedisset, aut exemptio vetus amputasset[1]. Nempe hoc ævo præter illos qui senatoriam dignitatem felicitate generis sortiebantur, alii palatinæ honore militiæ et stipendiis adprobati, seu Consulares, seu Illustres et Spectabiles, in debitam senatorii ordinis societatem advocabantur; alii largitate Principis ex Senatus postulatione vel commendatione, Senatores fiebant[2]; sic ut ex Italia omnibusque provinciis ditissimum quemque possessorem hic splendidissimus ordo quasi decerperet ut quam plurimi essent qui patrimonii viribus reipublicæ auxiliarentur oneribusque senatoriis, tunc temporis gravissimis, adjungerentur[3]; ipsique Imperatores Senatorum numero sese censebant quos in multis constitutionibus collegas vel partem corporis sui nuncupare solent[4]. Denique singulis annis breves eorum qui apud Urbem Romam

[1] Walt., t. I, p. 546. « Das Verzeichniss der Senatoren und ihres Vermögens wurde dem Kaiser vom Präfecten der Stadt vierteljährig vorgelegt. »

[2] *Ibid.*, p. 548. « Neben der Abstammung gab es noch drei andere Wege Senator zu werden. Der Erste war durch die Erlangung der consularischen Dignität oder eines Ranges in der zweiten Rangklasse der Spectabiles oder in der ersten der Illustres... Zweitens geschah es dass der Kaiser Einen aus Gnade auf die Empfehlung des Senates zum Senator erhöhte. Drittens endlich führte der Civil und Militärdienst am Hofe von den höheren Stufen in den Senat. »

[3] *Ibid.*, p. 546. « Der Senat war eigentlich nur noch eine Corporation zum Prunk, worin man die reichsten Grundherrn aus Italien und den Provinzen zusammenzubringen suchte um sie zum Vortheil des Hofes und der Hauptstadt auszubeuten. »

[4] *Cod. Theod.*, VIII, tit. 5, l. 32. — *Ibid.*, VI, tit. 2, De senatoribus, Paratitlon.

studiis liberalibus operam navabant, a censualibus summa diligentia confecti, ad Principem a Præfecto urbano emittebantur unde postea suo tempore eos in partes curarum pro meritis singulorum institutionibusque compertis adsiscere reique publicæ admovere posset[1].

Præter has ordinarias atque solemnes epistolas et relationes, quotiescumque Senatus ad jura sua tutanda aut vitia quædam legum emendanda, seu utilitatis propriæ, seu publicæ necessitatis causa, opem Principis implorabat, Præfectum Urbi, præsulem suum, petitionum suarum aut querelarum patronum ac legatum mandabat per quem allegationes clarissimorum virorum justa poscentium commendarentur[2]: quas inter petitiones eminet illa præclara Symmachi pro ara Victoriæ in Curia restituenda legatio[3], cui feliciter Ambrosius refutatoriis libellis obstitit[4]. Item, quotiescumque pro beneficiis acceptis, pro victoriis adversus Barbaros aliosve Imperii hostes re-

1 Gothof., *Cod. Theod.*, XIV, tit. 9, l. 1.

2 Symm., l. X, ep. 21. — *Ibid.*, ep. 62. « Certa officia sunt omnium potestatum. Præfecturæ urbanæ proprium negotium est Senatorum jura tutari. Quare partium mearum conventus necessitate allegationibus clarissimorum virorum justa poscentium deesse non potui. » — *Ibid.*, l. X, ep. 54. « Ubi primum Senatus amplissimus semperque vester, subacta legibus vitia cognovit..., boni sæculi auctoritatem secutus, evomuit diu pressum dolorem, atque iterum me querelarum suarum jussit esse legatum. » — *Cod. Theod.*, VI, tit. 2, Paratitlon.

3 Symm., l. X, ep. 54,

4 *Sancti Ambrosii episcopi Mediolanensis libellus contra relationem Symmachi.*

portatis, pro Quinquennalibus aut Decennalibus Tertiove Imperatoris lustro Senatus Populusque Romanus Principi gratias agebat aut vota nuncupabat[1], ipse Præfectus Urbi nomine devoti Ordinis totiusque Populi Romani obsequia, munera, oblationes, quæ publicum amorem testarentur, ad Augustos, publicæ salutis defensores, transmittebat[2]; ita ut merito os Senatus Populique dictus fuerit [3]. Sic Kalendis Januariis strenæ quarum usus apud Romanos antiquissimus tunc munusculis auro ductis constabat [4], pro felicibus anni auspiciis votisque communibus offerendæ Principibus ad Præfectum deferebantur[5] qui eos oraret ut talia officia libenti animo susciperent [6].

At gemino fungebatur officio Præfectus; scilicet, quemadmodum Senatus civiumque mandata ad Augustos perferebat, ita vicissim Augusti Præfecto suo litteras mandabant in Curia recitandas[7] edictave in foro Divi Trajani, loco celeberrimo, legenda [8], ut per eum quidquid cœlesti eorum numini placuisset Romæ renuntiaretur : unde tot

1 *Cod. Theod.*, VI, tit. 2, Paratitlon (aurum oblatitium...)

2 Cors., p. XLII.

3 Drackenb., c. x. — Cf. Walt., t. I, p. 552.

4 Symm., X, ep. 28. — Cf. *Cod. Theod.*, VII, tit. 24, l. 1, De oblatione votorum.

5 *Ibid.*

6 Cors., p. XLII.

7 Amm., l. XXI, c. x. « Quæ (litteræ) cum Tertullo administrante adhuc præfecturam recitarentur in curia... » — Cf. Drackenb., c. v.

8 *Cod. Theod.*, XIV, tit. 10, l. 2.

rescripta ad Præfectos urbanos, tam pauca vero ad Senatum Populumque directa in constitutionibus reperimus [1].

Quin etiam in dubiis rebus aut gravioribus causis quas per semetipsum definire non poterat, quum cunctaretur et ambigeret [2] quidnam statueret, Præfectus ad Principem referebat [3], fidis gestorum documentis ad scrinia sacra missis ut fluctuanti causæ stabilis terminus divino responso poneretur [4] : quæ relationes vel consultationes plurimæ apud Symmachum [5] leguntur neque cum aliis relationibus appellationis gratia in causis judiciariis ad Imperatores directis confundendæ sunt [6]. Sic in annonæ caritate vel penuria, in ærarii defectibus aut christianorum jurgiis dirimendis aut alio quovis ancipiti negotio Præfectus auxilium Principis tanquam solum remedium quod omnibus malis mederi posset invocabat, adeo degeneribus hujus ævi Romanis ut ex unius hominis nutu penderent cui se suaque omnia permitterent, et a quo velut a salutari Deo omnia bona exspectarent.

1 *Cod. Theod.*, passim.
2 Böck., I, p. 275 ; II, p. 417.
3 Symm., l. X, *passim*.
4 *Ibid.*, ep. 46.
5 *Ibid.*, passim.
6 Böck., II, p. 417.

# CAPUT VI

## DE OFFICIIS MINORIBUS ET OFFICIALIBUS

Multa sub dispositione sua officia minora Præfectus habebat[1], quæ cum Officialibus non confundi debent : in quem errorem Corsinus a Böckinio jure vituperatus[2] incidit.

Inter illos magistratus inferiores principem in *Notitia* locum obtinet *Præfectus Annonæ*. Hic Præfectus jam olim extra ordinem in maximis annonæ angustiis creatus, ab Augusto ordinarius institutus est ut frumentum curaret[3]. Primum ex ordine equestri ac Procuratoribus Cæsaris, postea etiam ex Senatoribus electus, *Vir Spectabilis* aut *Clarissimus* in lapidibus dicitur[4] et *Gravitatis* titulo honestari

[1] Symm., l. X, ep. 30. « Cum ad præfecturam urbanam civilium rerum summa pertineat, minoribus officiis certa quædam membra creduntur... »

[2] Böck., l. II, p. 177. — Cors., p. XLIV.

[3] Dio, l. LIV, c. XVII; LII, c. XXIV. — *Handb.,* II, p. 286. « Von der *Præfectura annonæ*, welche ebenfalls durch Augustus eingerichtet und einem Ritter übertragen wurde... »

[4] Orell.-Henz., n° 1091 ; n° 3169.

consuevit. Omnia quæ ad annonam spectabant Præfecto annonæ specialiter assignabantur utpote cujus hæc unica cura erat [1]. Ipse enim assidue per officinas pistorum, hoc est pistrina, quorum ducenta quinquaginta quatuor *Breviarium* recenset[2], discurrebat ut cibos inspiceret, panis munditiam exigeret, ponderaque æquus examinator pensaret unde cives Romani alerentur[3]. Horrea quoque ferme trecenta[4] ubi frumentum aliæve merces ex diversis provinciis translatæ in portu Urbis Romæ vel apud Romam tributim condebantur inspiciebat[5]; ideoque singulis annis et statis quibusdam temporibus ad ostia Tiberina vel portum Romanum solus aut cum Præfecto Urbis accedebat ut canonem frumentarium visitaret atque ab horreorum custodibus, susceptoribus vel præpositis, rationes exigeret[6]. Licet adhuc, sinistram ad Tiberis ripam, sub Aventino colle, in regione tertia decima, hodie *rione di Ripa*, immensa contemplari rudera nuper summi Pontificis jussu effossa[7], videlicet ingentes murorum substructiones, columnas, marmora nondum expolita sed in futuros usus

[1] Drakenb., c. VII.
[2] Preller, *Breviarium*, p. 31.
[3] Cass., *Var.*, VI, 18.
[4] Prell., *ibid.*
[5] *Ibid.*, p. 101. « Sie scheinen (*horrea*) über die ganze Stadt zerstreut, nicht nach der 14 regionen, sondern nach der 35 Tribus vertheilt und verwaltet zu sein. »
[6] Cors., p. XLV.
[7] *Bullettino dell'instituto di corrispondenza archeologica*, n° 6, di Giugno 1868. — *Scavi.* Il portico Emilio coll'emporio, scavi di Roma.

seposita et posteris ædificiorum ruinis sepulta: propter quæ innumera marmorum fragmenta illa regio nunc etiam Italico sermone *La Marmorata* appellatur [1]. Ibi quoque detecti sunt arcus Porticus Æmiliæ cum scalis vel gradibus per quos a fluvio ad *emporium* seu aream magnam silice stratam et forum Pistorum ascendebatur [2]; ita ut hic locus qui omnium rerum maxime necessariarum et pretiosarum receptaculum foret talis quodam modo ante oculos rursus effingi possit qualis esset quum tot mirabilibus operibus ornaretur eoque divitiæ totius orbis adfluerent.

Ad eumdem Præfectum pertinebat annonæ civicæ erogandæ cura [3]: quare tesseræ frumentariæ seu tituli æenei in quos et panis modus et percipientis nomen incidi debebant a Præfecto annonæ subscribebantur [4]. Arcæ frumentariæ præerat variisque Procuratoribus annonæ in provinciis e quibus canon frumentarius Romam advehebatur jussa transmittebat [5], vel consilia communicabat ut fruges ibi congestæ congruo tempore ad Urbem dirigerentur. De annona quidem nihil Præfectus Urbi sine Præfecto annonæ disponere poterat, et, quo firmior muneris societas videretur [6], carpentum Præfecti

[1] *Handb.*, I, p. 463-465.
[2] *Bullettino*, op. supra laud.
[3] *Cod. Theod.*, XIV, tit. 17, De annonis civicis, l. 5.
[4] Walt., I, p. 558-559.
[5] Procuratores annonæ in civitatibus Africæ, in provinciis Narbonens et Liguria, in Hispania et Ostiis commemorantur.
[6] *Cod. Just.*, I, tit. 28, De officio Præf. Urbi.

urbani Præfectus annonæ « mixta glorificatione, ut ait Theodoricus, conscendebat [1], illique in spectaculis conjunctissimus inveniebatur. »

Propriam quoque ac peculiarem jurisdictionem Præfectus annonæ exercebat; unde *annonarius cognitor* nuncupari solet [2]. Quippe qui in omnibus civilibus causis ad negotiationem, venditionis atque emptionis fidem pertinentibus judicaret [3]; item *pistorum catabolensium, suariorum, pecuariorum, caudicariorum, naviculariorum*, aliorumque ejusmodi corporatorum, etiam in criminalibus causis annonam vexantibus ordinarius esset judex [4], exceptis tribus primis cujusque corporis patronis Præfecti urbani jurisdictioni specie quadam fori competentis privilegiati attributis [5]; ideoque lapides non uno loco de *Præfecto Annonæ Urbis Sacræ cum jure gladii* testantur [6]. In quibusdam etiam causis, exempli gratia in cognitionibus super naufragiis vel rationibus ab horreorum mensoribus exigendis, Præfectus annonæ cum Vicario Urbis fidem gestarum rerum communi judicatione probabat [7], atque interdum in

[1] Cass., *Var.*, VI, 18.
[2] Böck., II, p. 179 et seqq.
[3] *Handb.*, III, 2, p. 107. « Er hatte eine selbständige Gerichtsbarkeit sowohl in den aus der Getreidezufuhr entstehenden Civilprocessen, als auch in den durch Defraudation oder Wuchen herbeigeführten Criminalprocessen. »
[4] *Cod. Theod.*, II, tit. 1, l. 1.
[5] *Ibid.*, XIV, tit. 4, l. 9.
[6] Orell.-Henz., n°s 1091, 3169, 3191.
[7] *Cod. Theod.*, XIII, tit. 9, De naufragiis, l. 5. — Cors, p. XLV.

societatem cognitionis a Præfecto Urbi vel speciali Principis mandato adsciscebatur[1]. Denique *navicularii*, venia ætatis impetrata, apud eum de suis moribus et honestate perdocebant[2].

Annonæ Præfecto in *Notitia* proximus *Vigilum Præfectus* adjungitur, Præfecto Urbi pariter subditus ac dignitate inferior[3]. Qui magistratus primum ab Augusto, anno sexto post Christum natum institutus, munera triumvirorum nocturnorum impleturus[4], inter Equites eligebatur, sicut Præfectus annonæ *Vir Spectabilis*, iisdemque titulis decoratus[5]. Arcendis incendiis præerat, septem vigilum cohortibus præpositus quæ in opportunis locis stationibusque, ut binas regiones Urbis una quæque cohors tueretur, nocturnas excubias agebant, velut ex egregio Olai Kellermanni opere[6] ac Prelleri *schemate*[7] patet; quorum *excubitoriorum* unum in regione Transtiberina nuper e solo, prope Ecclesiam Sancti Chrysogoni, erutum fuit[8]. Quæ septem cohortes, e

[1] Symm., l. X, ep. 36. — Amm., XXVIII, c. I.

[2] *Cod. Theod.*, II, tit. 17, lex unica.

[3] *Handb.*, II, 3, p. 284. « Unter seinen Unterbeamten sind..... der *Præfectus vigilum*..... von denen der erstere im Jahre 6 n. Chr. von Augustus eingesetz, und zum Befehlshaber der sieben *cohortes vigilum* bestimmt wurde..... Die ersten *præfecti vigilum* waren Ritter, später wurde diese Stelle durch Senatoren besetzt. » — Dio, l. LV, c. XXVI. — Suet., *Oct.*, c. XXX. — Strab., l. V, c. VII.

[4] Paulus, *Lib. Singul. de officio Præf. Vigilum.*

[5] Cors., p. XLVI.

[6] Kellermann, *Vigilum Rom. latercula duo Cœlimontana.* Romæ, 1835, in-4°.

[7] Prell., p. 95.

[8] G.-B. de Rossi, *Le stazioni delle sette coorti dei vigili nella*

libertis, postea e civibus Romanis maximam partem delectæ, legionibusque inferiores [1], per totam noctem vigilabant et coerrabant cum hamis et dolabris ut incendia exstinguerent neu quid contingeret quod civium saluti et tranquillitati obesse posset, veluti effracturæ cellarum, armariorum, arcarum atque horreorum ubi pretiosissima pars fortunarum vel publicarum vel privatarum tunc reponi solebat [2]. Quidquid ab iis erat inventum aut exploratum ad Præfectum Urbis a Præfecto Vigilum Romanæ civitatis custode deferebatur [3].

Itaque de incendiariis, effractoribus, furibus, raptatoribus vel receptatoribus, Præfectus Vigilum cognoscebat; fustibus vel flagellis cædi jubebat atque ad metalla damnabat, sed in capitalibus causis nullos nisi servos summo supplicio afficere poterat, de atrocioribus delictis vel famosis personis ad majorem potestatem, hoc est, ad Præfectum Urbi referens, ut de memoratis causis celsiore sententia judicaretur [4]. In civilibus quoque causis dijudicandis dominorum ædium contra conductores quamdam cognitionem habebat [5]; atque apud eum, venia ætatis

*città di Roma.* — *Annali dell'instituto di corrispondenza archeologica.* Roma, 1858. — *Bulletin d'archéologie chrétienne de J.-B. Rossi* (trad. franç. de l'abbé Martigny), 1870, n° 4, p. 173.

1 *Handb.*, III, 2, p. 383-384.

2 Paulus, *ibid.* — Lamprid., *Sev. vita*, c. XXXVIII. « Horrea in omnibus regionibus publica fecit ad quæ conferrent bona ii qui privatas custodias non haberent. »

3 Cass., *Var.*, VI, 7.

4 Paul., *ibid.* — Böck., II, p. 183. — *Dig.*, XLVII, 18, 2.

5 *Dig.*, Locati, XIX, 56.

impetrata, Equites Romani, de moribus et honestate perdocere debebant[1].

Eidem Urbis Præfecto suberat etiam *Comes Formarum* vel aquæductuum[2] cui velut artificibus nostris aquariæ rei peritis cura adscripta fuerat servandarum reficiendarumque formarum, per quas immensa aquæ salubris copia ad thermas, balnea, nymphæa, lacus, publicos privatosque usus necessaria Romam advehebatur[3]: quarum ingentium fabricarum miracula adhuc supersunt[4] Romanamque magnitudinem apud posteros extollunt. De arca speciali pecuniaque a Consulibus et Prætoribus, quum magistratum inirent, ad hoc illata sæpe mentio occurrit[5].

Postea sub Præfecti dispositione ac imperio *Comes Riparum et alvei Tiberis et Cloacarum* censetur, *Vir Clarissimus*, ab Augusto creatus et curator nuncupatus[6], ut alveum Tiberis completum rude-

1 *Cod. Theod.*, II, tit. 17, lex unica.

2 Cass., *Var.*, VI, 17.

3 Böck., II, p. 15. *Curiosum Urbis* recenset Aquas XVIIII (Trajana, Annia, Attica, Marcia, Claudia, Herculea, Cerulea, Iulia, Augustea, Appia, Alseatina, Ciminia, Aurelia, Damnata, Virgo, Tepula, Severiana, Antoniana, Alexandrina). — Preller, p. 28, p. 105-110, p. 226. — *Handb.*, I, p. 701-708. *Die Wasserleitungen.* — Front., *De aquæductibus.*

4 *Handb.*, I, p. 704. « Die *aqua Virgo* ist auf dem linken Ufer die einzige alte Wasserleitung, welche..... noch der neuen Stadt zu gute kommt und bildet jetzt die schöne Fontana Trevi. »

5 Walt., I, p. 554. « Das Bauwesen der Aquäducte stand unter einem besonderen Comes und hatte auch seine eigene Casse, welcher bestimmte Einkünfte namentlich von den Antrittsgeldern der Consuln und Prätoren zugewiesen waren. »

6 Böck., II, p. 16. — Suet., *Oct.*, c. XXXVII. — Orell.-Henz., n° 6505.

ribus laxaret ac repurgaret cloacasque in Tiberim ex omnibus civitatis partibus per meatus subterraneos ductas mundaret, sicque inundationes effusione aquarum nimia oriri solitas, coerceret [1]. Sub cujus administratione et jurisdictione erant *nautæ Tiberini*, corpus in inscriptionibus ac legibus Augustorum memoratum [2].

Huic subjungitur *Comes Portus* [3], qui Ostiis sedem habebat, navali ad Urbis annonam destinato, mercatoribusque portum aperiebat aut claudebat, vectigalia et portoria pro mercibus solvenda accipiebat et cavere debebat ne species quædam in usus ipsius Italiæ reservatæ ad exteros transmitterentur [4]. In ejus officio *Tabularius* vel *Rationalis Portuensis* cum *fabrorum Ostiensium* collegio fuisse videtur [5].

*Magister* quoque *Census*, sub Præfecti dispositione positus, singula bona civium describebat, peregrinos omnes Urbem ingressos, eorum nomina, patriam, conditionem, hospitia et causam ipsam qua Romam appulerant, explorabat [6]; apud eum omnes donationes ultimæque voluntates aliaque ejusmodi documenta servanda ac publicanda insinuabantur; ejus

[1] Böck., II, p. 188 et seqq. — Amm., l. XXIX, c. VI. « Tiberis qui, media intersecans mœnia, cloacis et fluviis abundantibus multis Tyrrheno mari miscetur, effusione imbrium exuberans nimia et supra amnis speciem pansus omnia pæne contexit. »

[2] Orell.-Henz., *passim*. — *Cod. Theod.*, XIV, tit. 13.

[3] Böck., II, p. 16.

[4] Cass., *Var.*, VII, 9.

[5] Orell.-Henz., n° 1300, n° 3246.

[6] Cors., p. XLVI. — *Cod. Theod.*, XIV, tit. 9, l. 1.

officiales vel *Censuales* actus omnes qui in Senatu tractari consueverant celebrabant [1], absentium Prætorum et Quæstorum munera exhibebant, deposita apud *officium censuale* pecunia in usus publicos et spectaculorum sumptus impendenda [2].

Deinde sequitur *Rationalis* seu *Tribunus vinorum*, *Vir Perfectissimus*, corpori *vinariorum* [3] atque arcæ vinariæ præpositus, ut in vinario foro vinum canonicum quod provinciales Romam comportabant statuto pretio venderet aut erogaret [4]. Cui adjungitur *Tribunus fori suarii* in regione septima, seu via Lata [5] unde Ecclesia sancti Nicolai in Porcilibus vocata est [6]; qui carni suillæ coemendæ æstimandæque præerat, ideoque *suariis*, *boariis pecuariisque* præsidebat [7]. Post quem enumerantur : *Consularis aquarum* cui aquæ publicæ atque venalis erogandæ cura demandata fuerat [8]; *Curator operum maximorum* de quibus parum consentiunt scriptores; *Curator operum publicorum*, id est cæterorum ædificiorum; *Curator Statuarum* qui signa ex ære ac marmore in foris aliisve Urbis locis erecta curabat, noctuque cum officio suo obser-

1 Böck., II, p. 193 et seqq.
2 *Cod. Theod.*, VI, tit. 2, l. 5; VI, tit. 4; XIII, tit. 10.
3 Böck., II, p. 195.
4 Symm., l. X, *passim*.
5 Prell., p. 12.
6 *Ibid.*, p. 140.
7 *Cod. Theod.*, XIV, tit. 4, De suariis. — *Novellæ Valent.*, III, 35.
8 Cors., XLVI-XLVII. — Böck., II, p. 15, p. 197.

vabat ne quis ea confringeret ac mutilaret[1]; *Curator horreorum Galbianorum* vel *Galbanorum*, præcipuorum inter innumera Urbis horrea, in regione Aventina[2]; *Centenarius Portus* vel *limenarcha* stationariis Portuensibus præfectus, cui cura incumbebat ne cives et peregrini rixarentur neve latrones securitatem subvectionis turbarent[3]; quemadmodum olim Claudius Imperator Vigiles apud Ostia et Puteolos ac secundum Tiberis ripam pro littorum atque itinerum custodia instituerat[4]; denique *Tribunus rerum nitentium* sive architectus Urbis Romæ, qui Romanis artibus præerat, et omnia curabat quæ ad Urbis decorem, elegantiam, vel munditiam pertinebant[5].

Præter hos omnes magistratus inferioris ordinis et Præfecto Urbi subditos alios reperire est quorum *Notitia* mentionem nullam faciat, quos tamen in recensione urbanorum magistratuum præterire non liceat: nempe *Curatores regionum* ac *Magistros vicorum*[6]. Neminem fugit Urbem Romam ab Augusto in quatuordecim regiones Lutetiæ nostræ regionibus (*arrondissements*) consimiles divisam fuisse iisque regionibus nunc etiam *rioni*, breviato nomine, appellatis Curatores quosdam annuos præ-

1 Cass., *Var.*, VIII, 13. — Böck., II, p. 200-201.
2 *Ibid.*, p. 202. — Preller, p. 22.
3 Böck., *ibid.*, p. 191 et seqq.
4 Prell., p. 96.
5 Böck., II, p. 203-206.
6 Walt., I, p. 442, not. 2.— Suet., *Oct.*, c. XXX. — Dio, LV, c. VIII.

positos esse [1] : qui Curatores pro temporibus varii fuerunt. Namque primum Ædiles, Tribuni, Prætores unam vel plures regiones sortiebantur quas curarent [2]; deinde alii regionum Curatores a Marco Antonino philosopho instituti sunt a Præfecto Urbi pendentes cui certos quosdam reos puniendos remittebant [3]; denique Alexander Severus Curatores regionum quatuordecim ex Consularibus viris Romæ fecit, quos audire negotia urbana cum Præfecto Urbi jussit [4]; ad quos incertum est num bini Curatores cuique regioni in *Curioso* adsignati referendi sint [5]; qui e libertis electi totius regionis sollicitudinem gerebant et jure a D. V. nostro Æmilio Egger cum regionum Curatoribus in urbe Parisiorum *(maires d'arrondissement)* conferri potuerunt [6].

Quæque regio in vicos (οἶκος) seu compita divisa fuerat [7]; quibus vicis [8] Magistri præerant, quatuor numero [9], e plebe cujusque viciniæ [10] a Præfecto Urbi

[1] *Ibid.*
[2] Orell.-Henz., n° 736,782.
[3] Jul. Capit. *M. Ant. vita*, c. XI.
[4] Lamp., *Alex. Sev. vita*, c. XXXII. — Orell.-Henz., n°. 6507.
[5] Prell., p. 2-24.
[6] Egger, *Examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste*, 1844, in-8°, Paris. — Appendice, *Recherches nouvelles sur l'histoire des institutions municipales chez les Romains*, p. 358-375.
[7] Böck., I, p. 178.
[8] Festus, p. 371. « Vici..... id genus ædificiorum, quæ continentia sunt in oppidis quæque itineribus regionibusque distributa inter se distant nominibusque dissimilibus discriminis causa sunt dispartita.
[9] *Basis Capitolina.*
[10] Prell., *ibid.*

quotannis lecti ; qui magisterium Kalendis Augustis auspicabantur fastosque proprios ab anno septimo ante Christum natum, ubi primum ab Augusto instituti sunt, habuere [1]. Hi magistri vicorum muneribus civilibus et sacris fungentes, pacem publicam per noctem tuebantur, populi recensui vicatim acto operam dabant [2], ædicula vel sacella ab antiquis Argeorum sacrariis originem ducentia [3], ubi Lares cum Genio Augusti et Stata Matre [4] colebantur, curabant atque ornabant, ludisque Compitaliciis seu feriis conceptivis bis anno celebratis [5], prætextati cum binis lictoribus et servis publicis vel ministris præsidebant [6]. In *Breviario* trecenti viginti quatuor vici et sexcenti septuaginta tres vicomagistri recensentur [7], qui cum quatuordecim regionum Curatoribus, tot denuntiatoribus, libertis et decurionibus a regionibus ac servis publicis duo fere millia hominum e plebe, præter majores magistratus eorumque officiales, reipublicæ Urbis Romæ deservientium efficiunt [8].

Si ab officiis minoribus ad Officiales Præfecturæ

[1] *Handb.*, II, 3, p. 268-271. — Egger, *op. laud. supra*, p. 361.
[2] Prell., *ibid.* — Suet., *Oct.*, 40.
[3] Varro, L. L. V, 8.
[4] *Handb.*, IV, p. 161-163.
[5] Suet., *Oct.*, 31.—*Ascon. in Pisonem*, p. 7. « Solebant autem magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum faciebant compitalicios, prætextati. »
[6] Dio, LV, c. VIII.
[7] Prell., p. 31.
[8] Egger, *loc. cit*, p. 373-374.

urbanæ veniamus, omnes reperimus apparitores qui in singulis fere omnium dignitatum administrationumque officiis enumerantur[1]: scilicet *Principem* seu toti Officio præpositum; *Cornicularium*, qui cornibus secretarii judicialis proxime adstabat, unde ei nomen derivatum; *Primiscrinium*, sive *Numerarium* proprio scrinio et vectigalium rationibus præpositum[2]; *Commentariensem*, vel a commentariis custodiarum cui reorum custodia mandabatur[3]; *Ab Actis*, cujus munus civiles vel pecuniarias causas tractare et ad tribunal judicandas deferre advocatosque urbani fori in matriculam inscribere; *Adjutores* et *Subadjuvas* vel ministros inferioris gradus; *Curam Epistolarum*, sive officiales epistolis scribendis, ut ex ipso nomine satis apparet, addictos; *Regerendarium* vel *Referendarium*, omnia ad cursum publicum evectionesque a Præfecto Urbi emissas spectantia tractantem; *Exceptores* (ταχύγραφοι), seu chartularios qui actus omnes excipiebant; *Censuales*, de quibus supra notavimus; *Nomenclatores*, citerioris potius quam publicæ vitæ ministeriis fungentes; denique *Singularios*, qui in provincias ad nuntios ferendos, uno equo vecti, a Præfecto Urbi mittebantur[4].

[1] Böck., II, p. 16. — Lyd., *De Magistratibus*, l. III, c. xx-xxiv. — Hollweg., III, p. 133 et seqq. — *Cod. Theod.*, VIII, tit. 4, *De Cohortalibus*, Paratitlon.

[2] Symm , l. X, ep. 47. « Premiscrinios urbani officii quorum sollicitudo per successiones exigenda curaverat, vel solvendo nomini vel edendæ rationi fecit obnoxios. »

[3] Orell.-Henz., n° 3206.

[4] Böck., II, p. 789. — Lyd., *De Magistratibus*, l. III, c. vii. — Hollweg., III, p. 156.

Præter hos omnes Officiales milites quoque stationarios ad Urbis custodiam Præfectus habebat, ita dispositos ut ad eum referrent quid ubique ageretur [1] : qui milites *Urbaniciani* etiam vocati atque ab Augusto instituti [2], in tres ac postea quatuor urbanas cohortes divisi sunt, legionibus dignitate superiores [3] et post prætorias cohortes sic enumeratas ut ab undecima inciperent et ad quartam decimam progrederentur, unde in lapidibus *Cohortes Urbanæ* XI, XII, XIII, XIIII leguntur [4]. De urbanis castris apud Ulpianum fit mentio [5]; quæ Prellerus septimæ regioni seu Viæ Latæ, ubi *Curiosum Urbis* Templum solis et Castra memorat, adscribenda conjicit [6]. Præsidia certe militaria et castra hoc ævo Romæ abundasse ex *Breviario* constat [7], in quo recensentur *Cohortes Prætoriæ* X, *Urbanæ* IIII, *Vigilum* VII, *Vexilla Communia* duo, *Castra Equitum Singulariorum* duo, seu Castra priora et Castra nova Severiana, *Castra Peregrinorum* ab Ammiano memorata in monte Cœlio [8], hoc est secunda regione [9],

1 Ulp., *Liber Singul. de officio Præfecti Urbi.*

2 Gothof., *Cod. Theod.*, VI, tit. 27, l. 8. « Urbaniciani sunt milites qui ad urbis custodiam dispositi erant sub Præfecti Urbis dispositione. »

3 *Handb.*, III, 2, p. 381 et seqq.

4 Orell.-Henz., n° 3422, t. II, p. 94.

5 Ulp., *Dig.*, l. XLVIII, 5, 15.

6 Prell., p. 12, 98.

7 *Ibid.*, p. 31. — *Handb.*, III, 2, *loc. laud. supra.*

8 Amm., l. XVI, c. XII. « (Chnodomarius) diebus postea paucis ductus ad comitatum Imperatoris, missusque exinde Romam, in castris peregrinis, quæ in monte sunt Cœlio. »

9 Prell., p. 4, 100. — Henz., *Discorso sui militi peregrini e frumentarii in Bullett. dell'Instituto...*, 1851, p. 113-121.

prope Ecclesiam Sancti Stephani Rotundi, *Castra classicorum Misennatium et Ravennatium*, una in tertia regione [1], altera in regione Transtiberina, urbe Ravennatium per medium ævum appellata [2]; adeo ut ex prædictis cohortibus viginti ferme millia militum ad Urbis custodiam quarto sæculo adhiberentur.

[1] Prell., p. 6.
[2] *Ibid.*, p. 100.

# CAPUT VII

## DE ANNONIS PRÆFECTI

Omnes magistratus apud antiquos Romanos muneribus publicis gratuito fungebantur ; iis tantum qui extra Romam et Italiam in provincias administrandas mittebantur ex ærario, vasarii nomine, mulæ, tabernacula, vehicula, vestes, annuli, cibaria atque etiam aurum et argentum præbebantur[1]. Quæ extraordinariæ magistratuum annonæ ab Augusto, Mæcenatis consilio, ordinariæ decretæ sunt certoque pretio æstimatæ ; ita tamen ut pro dignitate et ordinis gradu variæ essent, iis exceptis qui apud Romam magistratum gerebant[2] : de quibus annonis vel

[1] Mommsen, *Römisches Staatsrecht*, Erster Band, Leipzig, 1871. *Magistratische Emolumente*, p. 239 et seqq. — Zonaras, l. VIII, c. VI. Τοῖςτε ἄρχουσι τοῖς ἐκδημοῦσι καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς κατά τι πρᾶγμα τῇ πόλει διάφερον ἐξιοῦσι τάτε ἄλλα τὰ ἀναγκαῖα καὶ δακτύλιος ἐκ τοῦ δημοσίου ἐδίδοτο. — Dionysius, l. XIX, c. XV. — Cic., *De leg. agraria*, II, 13; *Verr.*, IV, 5.

[2] Suet., *Aug.*, 36. « Auctor fuit... ut proconsulibus ad mulos et tabernacula quæ publice locari solebant, certa pecunia constitueretur. » — Dio., l. LIII, c. XV. Καὶ τὸ μισθοφορὰν καὶ ἐκείνοις καὶ τοῖς ἄλλοις δέ-

salariis, ita dictis quia species diurnæ aut annuæ erogabantur, sexcenties apud scriptores historiæ Augustæ mentio occurrit [1]. Annonæ postea omnes adæratæ sunt et aureis nummis vel solidis taxatæ, quemadmodum ex titulo Codicis Justiniani de Officio Præfecti Prætorio Africæ constat [2]; atque ex arca speciali, seu arca Præfecturæ Prætorianæ, omnibus judicibus civilibus ac militaribus erogabantur [3]. Quippe jam inde a temporibus Constantini Magni Præfecti Prætorio, non jam Præfecti ærarii [4], omnibus annonis palatinis, militaribus ac civicis, vel exigendis vel erogandis præerant [5], ipsasque Augusto-

δοσθαι τότε ἐνομίσθη· τὸ μὲν γὰρ πάλαι ἐργολαβοῦντές τινες παρὰ τοῦ δημοσίου πάντα σφίσι τὰ πρὸς τὴν ἀρχὴν φέροντα παρεῖχον · ἐπὶ δὲ δὴ τοῦ Καίσαρος πρῶτον αὐτοὶ ἐκεῖνοι ταχτόν τι λαμβάνειν ἤρξαντο καὶ τοῦτο μὲν οὐχ ἐκ τοῦ ἴσου πᾶσί σφισιν, ἀλλ'ὥς που καὶ ἡ χρεία ἀπῄτει ἐτάχθη. — *Ibid.*, l LII, c. XXIII. Λαμβανέτωσαν δὲ μισθὸν πάντες οὗτοι οἱ τὰς ἔξω τῆς πόλεως ἀρχὰς ἐπιτρεπόμενοι, πλείω μὲν οἱ μείζους, ἐλάττω δὲ οἱ καταδεέστεροι, μέσον δὲ οἱ μέσοι...

1 Vop., *Vit. Aurel.*, c. IX. « Ejusdem Valeriani alia est epistola quæ laudes illius (Aureliani) continet quam ego ex scriniis Præfecturæ urbanæ protuli. Nam illi venienti salaria sui ordinis sunt decreta... » (Sequitur exemplum epistolæ.) — Lamprid., *Vit. Alex. Sev.*, c. XLII. « Cum judices promoveret, exemplo veterum argento et necessariis instruebat, ita ut præsides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, cocos singulos, aureos centenos, et si uxores non haberent, singulas concubinas... »

2 *Cod. Just.*, I, tit. 27.

3 Hollweg., III, p. 70. Die Besoldungskasse der Präfecti Prätorio, *arca Præfecturæ Prætorianæ.*

4 Vop., *Vit. Aurel.*, epist. Valeriani Cæionio Albino P. V.... « Reliqua per Præfectos ærarii præbebuntur. »

5 Hollweg., III, p. 70. « Die den Grundbesitzern auferlegten Naturallieferungen (*annona*) für diesen allgemeinen Zweck von den Präfecti Prätorio aus dem ganzen Reich bezogen. Die letztern wurden erst theilweise und allmälig immer mehr, endlich allgemein in Geldzahlungen

rum annonas procurabant, unde Palatium sua provisione sustentare in formula Cassiodoriana dicuntur [1].

De annonis Præfecti Urbi nullum indicium habemus; verumtamen vix dubitari potest quin Præfectus Urbi indiscretæ dignitatis cum Præfecto Prætorio centum auri libras, id est circiter centum millia francorum nostrorum per singulos annos accipiente[2], ulla de publico emolumenta consecutus sit: quippe qui, etiamsi civilem magistratum gereret, cum magistratibus municipalibus tunc solis emolumentorum exsortibus nullo modo conferri possit [3]. Cæterum Mæcenas ipse, quum de Præfecto urbano ac Subcensore, duobus novis magistratibus instituendis, ad Augustum verba faceret, illis mercedem quamdam pro honoris dignitate tribuendam esse censuerat [4].

In privatis ædibus, non publicis, Præfectos urbanos sedem habuisse ex multis scriptorum locis

verwandelt, und bildeten also die Staatscasse der Præfecten aus welcher die Besoldung der Armee, und aller Hof und Staatsbeamten bestritten wurden. »

1 Cass., *Var.*, VI, 3.

2 Hollweg., III, p. 37. « So erhielt der Präfectus von Afrika 100 Pfund Gold. » Auri libra Constantiniano tempore septuaginta et duos solidos dabat, solidus autem tredecim circiter francos efficit. Igitur centum auri libræ efficiunt centum millia francorum numero rotundo.

3 Momm., p. 249. « Unbesoldet blieben in dieser Zeit nur Municipaämter, wozu jest auch die Ueberreste der alten Stadtämter insbesondere Prätur und Quästur gerechnet werden: alle Reichsbeamten und Staatsdiener dagegen wurden jetzt gleichmässig besoldet. »

4 Dio., l. LII, c. XXI. Καὶ μισθὸν γέ τινα φερέτωσαν καὶ τῆς ἀσχολίας ἕνεκα καὶ τῆς ἀξιώσεως.

conjicere licet; ut de iis tantum loquamur qui melius ad rem nostram faciunt, mentiones diversarum domorum in variis Urbis regionibus a Præfectis occupatarum apud Ammianum occurrunt : scilicet illius domus [1] quam Lucilius Aurelius Avianus Symmachus, Quinti Aurelii Symmachi oratoris pater, in Transtiberina regione possedit et quam cives incenderunt ; illiusque alterius domus [2] quam Lampadius, successor ejus, prope Constantinianum lavacrum seu thermas Constantinianas, in sexta regione[3], possidebat et cui plebs collecta faces et malleolos injecit. Quorum incendiorum periculis Præfectos Urbis Romæ tunc obnoxios fuisse nos docet Ambrosius in epistola ad Theodosium [4], ubi memorat quantorum Romæ domus Præfectorum incensæ fuerint, nemine vindicante, quia, si quis Imperatorum vellet factum severius reprehendere, ejus magis qui tanto dispendio perculsus esset causam gravaret : adeo ut sæpius Præfecti, seditionibus coercendis vix sufficientes, tuendæ salutis causa in suburbana secedere, ibique tumultus adlenimenta opperiri coge-

[1] Amm., XXVII, 3. « Qui domum ejus (Symmachi) in transtiberino tractu pulcherrimam incenderunt, irati quod dixisset libenter se vino proprio calcarias exstincturum quam id venditurum pretiis quibus sperabatur. »

[2] *Ibid.* « Hic Præfectus (Lampadius) exagitatus est motibus crebris : uno omnium maximo, cum collecta plebs infima domum ejus prope Constantinianum lavacrum injectis facibus et malleolis incenderat, ni vicinorum et familiarium veloci concursu a summis tectorum culminibus petita saxis et tegulis abscessisset. »

[3] Prell., p. 10.

[4] Ambros., epist. XXIX ad Theodosium.

rentur [1]. Item tertio sæculo magnificæ ædes privatæ in nona regione seu circo Flaminio, prope arcum triumphalem Imperatorum Gratiani, Theodosii Valentinianique extructæ fuerant, templum Præfecti Chromatii dictæ [2] : quem Chromatium in actis sancti Sebastiani martyris et Corsini serie [3] memoratum, anno 284 post Christum natum, sub Diocletiani tempora, Præfectum Urbi fuisse ex Præfecturæ fastis comperimus.

Denique Joannis Laurentii Lydi testimonio plane atque aperte erudimur Præfectos nullam certam sedem habuisse, neque in prætoriis sicut Rectores provinciarum, sed in propriis domibus magistratum gessisse [4] donec posteriore tempore ædificia huic usui accomodata exstructa fuissent.

[1] Amm., XXVII, 3. « Quæ nec corrigere sufficiens Juventius nec mollire, coactus vi magna secessit in suburbanum. »

[2] Beschreib,, III, 3, p. 84. « Dieser letztere (der Palast der Cromatius) der Tempel des Präfecten welcher hiess *Olovitreum*, ganz gemacht aus Krystall und Gold durch Zauberkunst..... Et war ein Privatpalast (domus) mit einer Piscina, durch kunstreiche Mosaïk, denn diess hiesst im Mittelalter *Olovitreum* ausgezeichnet. »

[3] Cors, p. 154-155.

[4] Lyd., *De Magistratibus*, l. II. c. xx, p. 185. Οὐκ ἦν δὲ καταγώγιον ὡρισμένον ἀνέκαθεν οὐδεμιᾷ το:των τῶν ἀρχῶν οὐκ ἐπὶ τῆς πρώτης, οὐκ ἐπὶ τῆς καθ'ἡμᾶς βασιλίδος ὡς ἐπὶ τοῦ παρόντος, ἀλλ'ἐπὶ τῶν οἰκείων ἑδρῶν ὁ τὴν ἀρχὴν ἔπων ἔπραττε· καὶ τοῦτο ἄχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς Λέοντος ἐφ'οὗ Κωνσταντῖνος τὴν ὕπαρχον ἔχων τιμὴν... ἀγορὰν ἐδείματο διαπρεπεστάτην...

# CAPUT VIII

## DE RATIONIBUS A PRÆFECTO REDDENDIS

Omnes Romani qui magistratum aliquem gesserant, exceptis tantum Dictatoribus, ἀρχὴ ἀνυπεύθυνος, ut græcum vocabulum quo latinus eget sermo usurpemus, rationes deposito magistratu reddebant; ita tamen ut par majorve potestas de iis causis cognosceret [1] : unde tot crimina peculatus judiciaque repetundarum rerum apud scriptores Romanos invenimus. Deinceps, postquam libera respublica in principatum declinavit, solus Princeps cujus imperium per totam vitam prorogabatur ἀνυπεύθυνος fuit; reliqui vero magistratus rationes veteri more reddiderunt: inter quos sane numerandi sunt Præfecti Urbi, a Principe electi et post annuum aliudve temporis spatium mutati: qui, quum insignia magistratus deposuissent, ad privatam vitam redi-

[1] Momm., op. laud., *Verantwortlichkeit der Magistrate*, p. 88-92.

turi, examinandis actibus suis obnoxii erant ut male admissa corrigerentur, bene autem admissa laudarentur.

Cui inquisitioni successor Præfecti et Vicarius Urbis in societatem cognitionis ascitus præsidebant[1], sic ut pateret omnibus facultas super illius administrationem querimoniam commovendi et pro legum ratione pulsandi, quod satis compertum habemus exemplo pistoris hujus de quo loquitur Ammianus [2], ad correcturam Tusciæ provinciæ erecti, loco præmii, quia peculatus reum Orsitum multoties Præfecti honore functum detulerat [3]. Mox, inquisitione diligentissime facta, relationem cum rerum gestarum documentis cognitores ad Principem mittebant qui Præfectum crimine ærarii defraudati aliove damnatum exilio cum bonorum publicatione multabat.

At si nulla in eo causandi materia inventa fuisset, sed omnia laudanda potius quam vituperanda viderentur, unanimique Senatus ac Populi suffragio *Judex justus, integer, Rector providus* consalutaretur [4], amore publico prosequendus dignusque cujus

[1] Hollweg., III, p. 340.... « So prüft auch der Präfectus Urbi in Gemeinschaft mit dem Vicarius Urbis die Verwaltung seines Vorgängers und nimmt die Beschwerden gegen diesen an..... » — Symm., X, ep. 36. « Cum ad examinandos actus Bassi Præfecti Urbis potestas Vicaria ad secretarium commune prodiisset. »

[2] Amm., XXVII, 3. « Terentius..., humili genere in urbe natus et pistor, ad vicem præmii, quia peculatus reum detulerat Orsitum ex-Præfecto hanc eamdem provinciam (Tusciam) correctoris administraverat potestate. »

[3] Cors., p. 223.

[4] Amm., *passim*.

memoria posteris traderetur, statua illi ex ære argentove et auro, jussu Principum, pecunia publica in foro Ulpio collocabatur [1], ubi tam magnus fuit numerus statuarum vel Consulibus vel Præfectis aliisve magistratibus positarum ut « populus copiosissimus gregesque abundantissimi equorum » dici potuerint[2]. E quibus tot miraculis « singularique sub omni cœlo structura [3] » nihil aliud jam superest quam columnarum ac marmorum fragmenta, hoc demum ineunte sæculo [4], in octava regione seu foro Romano magno, e terræ visceribus eruta et in apricum ac lucem prolata, sola Trajani columma cochlide alta pedes CXXVIII semis [5] supereminente.

Neque tantum in foro Ulpio, sed etiam apud urbem Constantinopolim alteramve Romam magnis viris qui de republicà bene meruerant statuæ hoc ævo poni solebant, ut ex inscriptione quadam liquet Romæ reperta in qua tituli omnes Lucii Aurelii Aviani Symmachi Præfecti Urbi recensentur [6] duæque statuæ auro illustres perenni Augustorum judicio ei

[1] Orell.-Henz., n° 1140.

[2] Cass., *Var.*, VIII, 13.

[3] Amm., XVI, c. x. « ... Verum, cum ad Trajani forum venisset, singularem sub omni cœlo structuram, ut opinamur, etiam numinum adsensione mirabilem, hærebat attonitus, per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus adpetendos. »

[4] Fea, *Notizie degli scavi nell'anfiteatro Flavio e nel foro Trajano*, Roma, 1813. — Tournon, *Études statistiques sur Rome*, t. II. — Nibby, *Del foro Trajano*. — *Handb.*, I, p. 378 et seqq. — *Beschreibung der Stadt Rom*, III, 3, p. 159 et seqq.

[5] Prell., p. 12.

[6] Orell.-Henz., n° 1186.

dedicari jubentur, una apud Romam, altera apud Constantinopolim, Gratiano IIII et Merobaude Coss., hoc est anno 377 post Christum natum: quod sexcentis aliis ejusmodi marmoribus comprobari confirmarique possit [1].

[1] Orell.-Henz., *passim*.

# CAPUT IX

## DE PRÆFECTO CONSTANTINOPOLITANO

Urbs Constantinopolis italico jure donata [1] et multis privilegiis a Constantino ejusque successoribus aucta, quemadmodum suum senatum, suasque regiones, instar Romæ cujus ad imaginem facta erat, suum Præfectum (πολίαρχος) Præfecto Urbis Romæ consimilem parique potestate præditum habuit [2]. Cujus Præfecturæ urbanæ C. P. originem ad annum 359 post Christum natum ex Böckinii [3], Gothofredi [4] aliorumque [5] testimonio constat referendam esse : quo anno Constantius Augustus, Constantini Magni filius, sublato Duumvirorum magistratu (ἀνθύπατοι) seu Consulum, Honoratum ex Præfecto Prætorio Galliarum, quo majus novæ dignitati decus addere-

[1] *Cod. Theod.*, XIV, tit. 13, De jure italico Urbis Constantinopoleos, l. 1.

[2] Böck., I, p. 174-183.

[3] *Ibid.*

[4] Gothof., *Cod. Theod.*, VI, tit. 4, l. 16.

[5] Walter, I, p. 551, *Rom und Constantinopel.*

tur, Præfectum Urbis Constantinopoleos primum instituit, a quo hujus Præfecturæ fasti incipiunt [1].

Præfectum Urbis Constantinopoleos iisdem insignibus ornatum fuisse atque Præfectum Urbis Romæ, iisdem apparitoribus eodemque carpento [2] honoratum vix opus est monere, quanquam ex manuscripto codice id folium exciderit; propter quam lacunam nullum de ea re certum indicium habemus [3]. Inter Illustres seu primi ordinis magistratus censebatur, a Principe electus iisdemque verbis in Augustorum legibus compellatus [4].

Quod ad ejus jurisdictionem attinet duplex fuit, sicut jurisdictio Præfecti romani : scilicet *ordinaria* in causis civilibus et criminalibus quum de Senatoribus, corporatis Urbis Constantinopoleos et illustribus viris honorariis codicillis decoratis ageretur [5], et *vice sacra* in appellationibus [6] a magistratibus minoribus, aliquando etiam ab omnibus Vicariis [7], atque speciali Principis delegatione a Consularibus,

[1] Gothof., *ibid.*

[2] Antholog., II, 52, n° 7.

[3] Böck., I, p. 174.

[4] *Ibid.*, p. 176. — *Cod Theod.*, passim.

[5] *Cod. Theod.*, I, tit. 6, De officio Præfecti Urbi, l. 1. — Hollweg., III, p. 66-67. « Hatte die *Jurisdictio ordinaria* über die Senatoren, die *Corporati* und übrigen Einwohner; auch in allen mit der Polizei in. Verbindung stehenden Rechtssachen, zu Beispiel Baustreitigkeiten selbst über sonst eximirte Personen. »

[6] *Ibid.* « Als kaiserlicher Richter (*sacra vice*) nimmt er Appellation an nicht nur von den niedern Richtern der Stadt, insbesondere den Prätoren, sondern vermöge besonderer Delegation auch aus gewissen Provinzen des Orients. »

[7] *Cod. Theod.*, I, tit. 6, l. 3

Correctoribus Præsidibusve per octo provincias Orientis, nimirum *Bythiniam*, *Lydiam*, *Hellespontum*, *Insulas*, *Phrygiam Salutarem*, *Europam*, *Rhodopam* et *Hæmimontum* quibus *Paphlagonia* adjecta fuit [1], seu novem provincias circumjacentes vel surbubanas, quanquam nulla suburbicariarum regionum aut centesimi milliarii mentio occurrat apud scriptores qui de Præfecto Constantinopolitano egerunt [2]. Ab eo, quemadmodum a Præfecto Urbis Romæ ad Imperatorem provocabatur.

Omnia ad quietem, securitatem salubritatemque civitatis spectantia ad ejus administrationem pertinebant [3]; nempe annonæ præerat quam solus curabat, nusquam enim Præfectus annonæ urbis Constantinopoleos legibus memoratur [4]; canonem urbicarium ab Ægypto classi Alexandrina advectum ipse inspiciebat omnesque annonas civicas erogabat [5] inter quas notandæ sunt ædium annonæ [6], urbi Constantinopoli peculiares, ad vicem præmii seu incitamenti pro novis domibus ædificandis [7], et arca

[1] *Cod. Just.*, VII, tit. 62, De appellationibus, l. 23. — Böck., I, p. 177.

[2] Hollweg., III, p. 67. « Ein dem *Centesimus Lapis* ähnlicher Sprengel ausserhalb der Stadt wird nirgends erwähnt. »

[3] Böck., I, p. 178.

[4] *Ibid.*, p. 17[illegible]. — Hollweg., III, p. 67. — *Cod Theod.*, XIV, tit. 16, De frumento urbis Constantinopolitanæ.

[5] *Cod. Theod.*, XIV, tit. 17, De annonis civicis.

[6] *Ibid.*, l. 1, Impp. Valent. et Valens, A. A. Jovio P. V. C. « Quia comperimus, nonnullos venditis ædibus, panes earum penes se retinere, nulli liceat ut ædes sequantur annonæ. Sane si qui ex hujusmodi titulo caduci sint panes, fisci viribus vindicentur. »

[7] Walt., I, p. 559. « Daneben gab es auch Spenden die als Beloh-

quædam mutuæ provisionis a *mancipibus* statuta pro frumento comparando dividendoque in annonæ angustiis [1]. Ædificiorum quoque curam gerebat et sepulchrorum ne urbanis sepulturis civitatis sanctitas violaretur, sed in causis ad ludos spectaculaque pertinentibus, arctioribus finibus ejus administratio atque jurisdictio circumscripta fuit [2], nam Tribunus erat voluptatum cum Prætoribus qui theatralibus ludis per annos singulos celebrandis nutu clementiæ principalis deputati fuerant [3]. Porro de cæteris ad civitatis bene ordinatæ statum negotiis cura Præfecto commissa erat : nimirum hæreticorum prosequendorum, legum de studiis liberalibus exsequendarum, neu quis habitu vetito intra Urbem uteretur, aliarumque rerum similium quæ vix apud nos ad rempublicam spectare videntur [4].

Sub dispositione Præfecti Urbis Constantinopoleos Præfectum vigilum (νυκτέπαρχος) Romano consimillimum fuisse constat qui incendia arcebat nocturnamque civium quietem tutabatur [5] et colle-

nung für neuerbaute Haüser für immer mit diesen Haüsern verbunden blieben. »

[1] Walt., *ibid.* « Auch wurde in Constantinopel noch ein ausserordentlicher Fund gegründet woraus den *mancipes* in Zeiten der Noth zur Anschaffung von Getreide Geld geliehen wurde. »

[2] *Ibid.* « Ueber die öffentlichen Lustbarkeiten, insbesondere über die Schauspiele, war ein eigener Intendant gesetzt, der auch eine Disciplinargewalt über die Schauspieler handhabte. »

[3] *Cod. Theod.*, VI, tit. 4, l. 33.

[4] *Justin. Novellæ*, LXIV.

[5] Böck., I, p. 178. — Anon., *Vetus Descriptio Urbis Constantinopolitanæ*. — Cf. Prell., p. 36, et Walt., I, p. 552. « Für die Ruhe

giatis quingentis sexaginta tribus ex omnibus Urbis corporatis ad omne vitæ tempus electis [1] et septuaginta vicorum magistris (στενώπαρχοι, γειτονιάρχαι), quinque regionatim, imperabat [2]. Qui Præfectus, sicut Romanus, de minoribus delictis in criminalibus causis cognoscebat [3] posteaque a Justiniano sublatus est, Prætore populi, (πραίτωρ τῶν δήμων) in illius locum cum ampliore potestate instituto [4] et Quæstore de criminibus a peregrinis admissis cognituro [5].

De cæteris vero officiis minoribus Officialibusque nulli nisi *Magister Census*, (ἄρχων τῶν ἀρχετύπων), *Curatores* singulis regionibus adscripti *Verna-*

und innere Sicherheit der Stadt sorgte wie bisher der Stadthauptmann oder Präfect der Vigiles. Unter ihm standen zur Handhabung der nächtlichen Polizei die *vicomagistri* und zur Hülfeleistung bei Feuerbrünsten das Corps der Collegiaten dessen Mitglieder aus den werschiedenen städtischen Corporationen auf Lebenszeit gewählt wurden. »

[1] Walt., *ibid.*

[2] *Ibid.*, p. 551. « Jede Region hatte wie in Rom einen *Curator* mit einem *Vernaculus*, jedoch nur fünf *vicomagistri.* » — Böck., I, p. 178.

[3] Walt. *ibid.....* « Derselbe hatte auch noch die Cognition über leichteren Vergehen. »

[4] *Ibid.*, p. 552. « Justinian setzte aber an die Stelle der Präfecten der Vigiles in Constantinopel einen sogenannter Prätor der Volkes mit weit grösseren Befugnissen und neben diesen einen Quästor besonders für die Fremdenpolizei und zur Ausspürung und Verfolgung der Verbrechen. » — *Handb.*, II, 3, p. 285-286. « In Constantinopel war der Amtskreis der Präfectus Vigilum..... ein sehr beschränkter und durch Justinian wurde sowohl der Titel als das Amt geändert. Statt der sieben Cohorten welche dem Präfectus Vigilum anfangs zu Gebote standen, verfügte er seit diese Zeit nur über zwanzig Soldaten und dreissig Feuerknechte, andererseits aber wurde seine Gerichtsbarkeit erweitert. » — Böck., I, p. 178. — Lyd., III, 29.

[5] *Ibid.*

*culique*, *Comites horreorum publicorum*, *Censuales* atque *Nomenclatores* apud scriptores aut in veteri Urbis descriptione memorantur [1], multis tamen aliis Officialibus, quotquot Romana Præfectura habuit, Præfecto Urbis Constantinopoleos procul dubio subditis.

[1] Böck., p. 16. -- *Ibid.*, p. 180-183. — Lyd., II, 30. — Walt., I, p. 551. — Constant. Porph., II, 51.

# CAPUT X

## DE VICARIO URBIS ROMÆ

Haud inter officia minora sub dispositione Præfecti Urbis posita censeri vel referri debet Vicarius Urbis Romæ, ita dictus non quia vicem agebat Præfecti urbani sed quia Vicarius Præfecturæ Prætorianæ Illustrissimæ ordinariam in Urbe sedem habebat [1]. Quippe qui, ut reliqui Vicarii, pecu-liarem potestatem, jurisdictionem, imperiumque ab ipso Principe datum exerceret [2], neque a Præfecto Urbi, penderet, sed soli Præfecto Prætorio per Italias subjiceretur [3], cujusque seu Urbis Romæ diœcesis decem provincias, *Campaniam*, *Tusciam et Umbriam*, *Picenum suburbicarium*, *Siciliam*, *Apuliam et Calabriam*, *Bruttios et Lucaniam*,

[1] Hollweg., III, p. 51. « Die Diocæse Italia steht nach der *Notitia* unter zwei Vicarien, nehmlich die zehn südlichen Provinzen unter dem *Vicarius*, der in Rom residirt und deshalb *Vicarius in Urbe* oder *Urbis Romæ* heisst, und dem *Vicarius Italiæ* dem nur die sieben nördlichen Provinzen untergeben sind. »

[2] Cors., *Præf.*, p. XLVIII. — Amm., *Ind.* II. — Cass., *Var.*, VI, 15.

[3] Böck., II, p. 426 et seqq. (c. XVIII).

*Samnium, Sardiniam, Corsicam, Valeriam* complecteretur [1], cæteris Italiæ superioris provinciis Vicario Italiæ, Mediolani sedem habenti, assignatis [2]; quare in marmoribus *pro-præfectis prætorio in Urbe Roma finitimisque provinciis* aliquando nomine vocatur [3]. Inter Spectabiles, seu mediæ dignitatis viros censetur atque his verbis: *Spectabilitas Tua, Gravitas Tua,* ab Augustis compellatur [4]. Vice sacra, velut ipsi Præfecti, sententiam dicebat atque ad eum a Rectoribus supradictarum provinciarum seu ordinariis Judicibus appellari poterat [5], quemadmodum ab eo ad Principem, non ad Præfectos, nisi in causis quibusdam definitis provocabatur [6]. Denique summorum carpento vehebatur [7] et chlamyde seu veste militari induebatur ne præsentibus etiam Præfectis crederetur esse privatus [8].

Præter hanc jurisdictionem omnibus Vicariis

[1] Böck., p. 63-64. -- Walt., I, p. 565-566.

[2] *Ibid.*, II, p. 65-66. — Walt., *ibid.*

[3] Orell.-Henz., n° 1186.

[4] Cors., *ibid.* — Böck., II, p. 429-430. — *Cod. Theod.*, passim.

[5] Hollweg., III, p. 56-58. « Regelmässig erkennen diese höhern Reichsbeamten an Stelle des Kaisers (vice sacra) auf Appellation von den Statthaltern in zweiter Instanz und zwar nicht nur die Vicarien und andern *Judices Spectabiles*, sondern auch unmittelbar der *Präfectus Prätorio.* » — Cass., *Var.*, VI, 15. — Cors., *ibid.*

[6] Hollweg., *Ibid.* — « Die Vicarien und andere *Judices Spectabiles* sind nicht inappellabel. Die Appellation geht aber von ihnen... nicht an den Präfecten, welchem ihre Diocæse untergeordnet *(sub dispositione)* ist, sondern an den Kaiser den auch sie als Richter stets repräsentiren. » — *Cod. Theod.*, XI, tit. 30, l. 61.

[7] Cass., *Var.*, VI, 15.

[8] Cass., *ibid.* — Böck., II, p. 429.

communem, peculiarem aliam quamdam cum Præfecti urbani jurisdictione concurrentem exercebat Vicarius Urbis Romæ, in ipsa Urbe suburbicariisque provinciis, neque solum intra quadragesimum lapidem, si Böckinio potius quam Hollwegio formulæque Cassiodorianæ credendum est [1]; ita ut a Præfecto Urbi proximus, quanquam dignitatis inferioris, ordinario jure [2], quum ejus in proximo degentis auxilium postularetur, cognosceret, priore tamen loco majori potestati relicto; unde ejus judicia *secunda judicia* appellari consueverunt [3] et commune *secretarium* habuit [4]. In rationibus exigendis vel a Præfecto vel a frumenti canonarii susceptoribus operumve publicorum redemptoribus seu mechanicis, Vicarius Urbis examini Præfecti Urbi aut Præfecti annonæ semper copulabatur [5]; qui duarum potes-

1 Hollweg., III, p. 63-64. « Abweichend von dem Verhältniss anderer Vicarien der *Präfecti Prätorio* ist nur, dass dieser *Vicarius Urbis* seine kaiserliche Gerichtsbarkeit (*vice sacra*) auch in erster Instanz innerhalb der Stadt und eines Stadtbezirks ausübt und hierin mit dem *Präfectus Urbi* concurrirt, dem er jedoch, als geringerer Würde (*Judex Spectabilis*) weicht... » — Cass., *ibid.* « Intra quadragesimum sanctissimæ Urbis jura custodis. » — Böck., II, p. 429.

2 Hollweg., *ibid.*

3 Symm., X, ep. 36. « Hic jam vestræ Perennitatis est æstimare contumeliam Præfecturæ : cujus causidicus nihil passus, auxilium secundis judiciis impetravit. »

4 *Ibid.* « Hic jussu ejus ad commune secretarium a Principibus Officii utriusque perducitur... »

5 Hollweg., III, p. 64. « Wo der *Präfectus* Urbi verhindert ist, schreitet er ein : haüfig wirken sie zusammen, und haben zu dem Ende ein gemeinschaftliches Gerichtslocal. » — Symm., X, ep. 39. « ... Numinis vestri decreta rursus accepi, quibus examini meo V. C. et spectabilem Vicarium copulastis : ut utroque residente, accusata pontis

tatum concursus non sine æmulatione ac livore fuit: scilicet Ammianus nos docet Aginatium quemdam, Vicarium Urbis Romæ, indignissime tulisse et doluisse in examinandis causis Maximinum Præfectum annonæ ab Olybrio sibi prælatum [1]. Item in quibusdam causis civilibus et criminalibus Vicarius solus cognoscebat [2], exempli gratia in incestis nuptiis [3], et *Perfectissimi* sub ejus jurisdictione collocati, apud eum, venia ætatis impetrata, de honestate et suis moribus perdocere debebant [4]. Ipse Prænestes ludos edebat [5], jus habebat in Curia sedendi cum Præfectis, Consulibus, Illustribus, aliisque summatibus, merito inter præcipuos censendus qui senatoria dignitate augeretur [6]; ideoque cæteris Vicariis in Occidentis partibus antestat, soli Africæ Proconsuli postpositus [7].

Codicilli Vicariæ Præfecturæ eburnei erant (δέλτοι ἐξ ἐλεφάντων), a Principe emissi [8]. Cujus novæ dignitatis prima institutio ad annum 320 post Christum

vitia quærerentur. » — Cors., p. XLV. « ... A frumenti canonarii susceptoribus una cum Urbis Vicario rationes exigebat (Præfectus annonæ). »

[1] Amm., XXVIII, 1.

[2] Hollweg., III, p. 64. « ... Einzelne Geschäfte sind dem *Vicarius* ausschliesslich übertragen. »

[3] Amm., XXVIII, 1. — *Cod. Theod.*, De incestis nuptiis.

[4] *Cod. Theod.*, II, tit. 17. « De venia ætatis (lex unica). — Gothof., *Cod. Theod.*, VI, tit. 37, De perfectissimatus dignitate, l. 1.

[5] Cass., *ibid.*

[6] *Ibid.*

[7] Böck., p. 4.

[8] Amm., XXVIII, 1. — *Nota* Valesii, t. III, p. 217.

natum referenda videtur, namque a Constantino Magno Vicarios institutos fuisse constat, iisque in legibus quæ ad ejusmodi Vicarios Urbis diriguntur nulla eorum mentio ante hunc annum occurrit [1]. Qui, ut jam supra monuimus, non confundi debent cum aliis vice Præfecti Urbis functis, hoc est, ad tempus pro Præfecto sine ulla propria dignitate extra ordinem delegatis [2], atque aliquando etiam agentibus *vicem Præfectorum Prætorio et Urbi*; quemadmodum Pasiphilus quidam officio plane singulari utriusque Præfecti vices egit, statim post victoriam a Théodosio Romam missus ut remotis Eugenii tyranni Præfectis eorum munera pro tempore ipse susciperet [3]. Multos quoque Officiales habebat Vicarius Urbis, etiam milites [4], quotquot fere in reliquorum magistratuum officiis recensentur, scilicet: *Principem, Ducenarium, Cornicularium, Numerarios duos, Commentariensem, Adjutorem, Ab actis, Curam Epistolarum, Subadjuvas, Exceptores,*

[1] Momm., *Römische Feldmesser,* II, liber coloniarum, p. 203. « Da Jahr wo diese neuen Behörden in Wirksamkeit traten, kennen wir nicht: jedenfalls aber nach 306 und vor 320. » — *Cod. Theod.*, passim.

[2] Orell.-Henz., n° 946. — Hollweg., III, p. 63. « *Vicarius Urbi...* nicht zu verwechseln mit dem zufällig und unterimistich dem *Präfectus Urbi* selbst gesetzen *Vicarius* » — *Ibid.*, p. 183. « Einer ganz anderen Kategorie gehören dagegen diejenigen Stellvertreter (*vices Magistratuum agentes*) an welche auch jetzt der Kaiser oder der *Präfectus Prätorio* wegen ausserordentlicher Behinderung oder Erledigung eines Amtes zu dessen interimistischer Verwaltung bestellt. »

[3] Orell.-Henz., n° 6478.

[4] Symm., X, ep. 36. « ... Interea Felix a militibus Vicariæ potestatis abducitur. »

*Singulares*[1], atque ex rescripto quodam Imperatorum Valentiniani, Theodosii et Arcadii, ter centenos sub singulis Vicariis per diœceses illis creditas militasse erudimur [2]. Id unum postremo observare libet quod nullus uspiam Vicarius Urbis Constantinopoleos reperitur, quatuor tantum Vicariis, nempe diœceseos *Asianæ*, *Ponticæ*, *Thraciarum*, *Macedoniæ*, in Orientis partibus commemoratis [3].

1 Böck., II, p. 64. — *Ibid.*, p. 438.
2 *Cod. Theod.*, I, tit. 15, De officio Vicarii, l. 12.
3 Böck., I, p. 4.

## EPILOGUS

Series Præfectorum a Corsino accuratissime contexta ac prolata usque ad annum sexcentesimum post Christum natum pervenit : quo tempore urbani fasti ex hominum manibus et memoria excidere penitusque ignorari cœperunt [1]. Jam intra sextum sæculum vix octodecim Præfectorum nomina qui temporis edacitatem evaserint, clarissimorum virorum studio recolligi suisque locis restitui potuerunt [2] inter quos notandus est sanctus Gregorius Magnus Papa quem nobili loco ortum, perspicuo ipsius testimonio [3], Præfectura urbana, anno 572, functum esse erudimur, antequam monasticam vitam susciperet et Romanus Pontifex eligeretur [4]. Haud tamen tunc temporis, quum Italia miserrime barbaris gen-

[1] Cors., p. LI.

[2] Ibid., *Series chronologica,* p. 403.

[3] *Sancti Gregorii Epistolæ,* lib. III, ep. 2. « ... Inter quas ego quoque tunc urbanam Præfecturam gerens pariter subscripsi. »

[4] Cors., p. 374-375.

tibus discerperetur [1], novisque magistratibus græco vocabulo designatis ('Εξάρχοι) subderetur [2], Præfecturæ dignitas in Urbe Roma evanuit [3], sed adeo valida firmaque stetit ut in epistolis Gregorii Magni multorum reperiantur nomina Præfectorum [4] : qui Præfecti a Cæsaribus Byzantinis ex Episcopi Romani commendatione electi, summæ adhuc rerum civilium et criminalium pecuniisque publicis præerant [5], sola militari potestate Duci vel Magistro Militum commissa [6]. Ineunte demum septimo sæculo Præfecti auctoritas minui cœpit, omni republica Romanorum tam civili quam militari ad ducem Romanum paulatim translata [7], arctioribusque criminalis jurisdictionis finibus Præfecto Urbi jam circumscripto [8],

[1] Gregorovius, *Die stadt Rom im Mittelalter*. I, p. 480.

[2] Cors., p. LI.

[3] *Ibid.*

[4] *Gregorii epistolæ*, passim.

[5] Gregorov., I, 482. « So ist es, wenigstens gewiss, dass Longinus an der althergebrachten obersten Civilbehörde nichts änderte : der Präfect der Stadt blieb nach wie vor bestehen... » — *Ibid.*, II, p. 52-53. « Viel öfter wird in Gregor's Briefen der Präfect genannt..... Er leitete nämlich alle Civil Geschäfte unmittelbar, sowohl was Finanzen, als was Gerichtsbarkeit und oberste Verwaltung der Stadt betraf. Des Papsts Empfehlung war nicht ohne Einfluss auf die Besetzung des mühevollen Amts der Präfectur sowohl für Italien als für die Stadt ... »

[6] *Ibid.* « Im sechsten Jahrhundert war es noch immer so bedeutend, dass die ganze Civilverwaltung ihm angehörte, während das politische und militärische Regiment beim delegirten *Magister militum* sich befand. »

[7] *Ibid.* « Diese umfassende Befugniss des Präfecten Rom's schwand im siebenten Jahrhundert wo die militärischen Gewalten völlige Oberhand erhielten und indem der Strdtpräfect auf die blosse Jurisdiction beschränkt wurde : sank er unter den *Dux* von Rom, den General Gouverneur der Stadt herab. »

[8] *Ibid.*, II, p. 385. « Der Stadtpräfect hatte fortbestanden und als

quam per medii ævi tempora omnesque rerum vicissitudines servavit, ita ut de capitalibus causis etiam tum solus cognosceret [1].

Post annum millesimum frequens adhuc ejusmodi Præfectorum, quicumque demum ii fuerint, apud scriptores vel profanos vel ecclesiasticos mentio reperitur [2]; qui tamen magistratus a pristina gloria splendore ac dignitate ita dejectus adeoque mutatus videtur ut nihil jam sit nisi inanis fere nudusque titulus, forte venalis [3], et in quadam gente a patre ad filium ipsamque filiam [4], sicut Principatus, Ducatus, aliique tituli, hæreditario jure transmissus [5]. Sic undecimo sæculo, anno 1075, festiva die nativitatis Christi, Gregorius VII Papa, dum missam celebraret, a Cencio, Stephani filio, Præfecto Urbi ejusque sicariis fuit circumventus et in carcerem ductus [6]. Postea, tertio ac quarto decimo sæculo, Præfecti a Gregorovio interdum nominantur, *almæ*

oberste Criminalbehörde den Stürmen der Zeit getrotzt.... aber wir wissen nicht wie weit sich seine Gerichtsbarkeit ausdehnte... » (772-774.)

1 *Ibid.*, p. 483. « Der Stadtpräfect noch die oberste Criminalbehörde Rom's war und vor seinem Richterstul die schwersten Verbrechen vom Papst selbst gewiesen wurden. »

2 Cors., p. LX-LXI.

3 Gregorov., II, p. 482.

4 *Ibid.*, VI, p. 543.

5 *Ibid.*, p. 262. « Johann von Vico, Nachfolger seines Vaters in der Präfectur; welche bei diesem germanischen Geschlecht erblich war. » *Faziolus de Præfectis. — De Sancto Pupa de Præfectis. — Landulfus de Präfectis ex dominis castri Bracciani.*

6 Beschreib., III, 2, p. 272. « Am Weihnachtfeste des Jahres 1075 ward Gregor VII beim Lesen der Messe von Cencius, Sohn des Stephanus, Präfecten von Rom, mit einer Schaar Bewaffneter überfallen und gefangen weggeführt. »

*Urbis Præfecti illustres* quandoque vocati[1], deque illo honore tanquam beneficio, tum ab Imperatore, tum a summo Pontifice, tum etiam aliquando a Populo Romano collato fit mentio, Præfectorum nominibus in omnibus bellis, fœderibus aliisve rebus publicis memoratis[2]. Mox sexto decimo sæculo, Joannem quemdam ex gente Roveria, nepotem Sixti IV Pontificis, ducem Soræ, Sinigalliæ et Mondavi Principem, his omnibus titulis titulo Præfecti Urbis Romæ superaddito, reperimus[3]. Denique septimo decimo sæculo Urbanus VIII, Pontifex maximus, ut Barberinam gentem ex qua prodierat novis dignitatibus et honorum titulis cohonestaret, Urbis Præfecturam vel potius Urbis Præfecti nomen quod recens cum Francisco Roboreo, Urbinatum Duce exstinctum fuerat, Thaddæo Barberino, fratris filio, Prænestes Principi atque Eretanorum Duci, anno 1631, concessit, ipsumque, ut ait Corsinus[4], iis juribus et insignibus exornavit quæ jam a quadringentis annis Urbis Præfectus in Romana Curia vel Senatu Romano obtinuerat. Cui novo Præfecto congratulatus est Felix Contelorius, patricius Romanus ac protonotarius apostolicus qui, Panvinii vestigiis insistens, novam Præfectorum Urbis seriem ab anno Christi 1000 usque ad annum 1631 contexuit,

[1] Gregorov., VI, p. 263.
[2] *Ibid.*, passim.
[3] Dantier, *Florence et les Médicis*.
[4] Cors., p. LV-LVI.

ritibus omnibus ac cærimoniis expositis quibus Præfectus in sacris profanisque concessibus Romæ honorari consueverat [1]. Nullam prorsus recentiorem Præfectorum mentionem ego quidem reperi, nisi in via Romana hodie etiam *De Præfectis* [2] dicta, neque affirmare ausim quando ipsum nomen cum umbratili dignitate evanuerit, annis duobus profecto millibus et quadringentis a prima urbanæ Præfecturæ origine usque ad ultimum ejus finem elapsis.

Præfectura Constantinopolitana per omne medium ævum perseveravit, teste illo Philotheo imperiali protospathario apud Constantinum Porphyrogeneten qui, ineunte decimo sæculo, eam recenset inter eas LX dignitates quæ solo Imperatoris edicto dabantur atque adimebantur [3], finemque certe habuit una cum Romano imperio Orientali, Urbe a Mahumete II Turcisque barbaris capta et direpta.

[1] *Ibid.*
[2] Gregor., VI, p. 709, nota 1 ... Via... De Præfectis (noch heute).
[3] Böck., I, p. 176. — Constant. Porphyr., *De cærim. aul. Byz...*, II, 52.

FINIS

LUGDUNI. — EX TYPIS PITRAT, VIA GENTIL., 4.

5

